




TRACTATUS
DE
MORBIS
CAPITIS EXTERNIS.

DOMINI HAGUENOT, *Regis Consiliarii, & in almâ Facultate Monspeliensi, Medicinæ Regii Professoris.*



...is Lud. Med — fran. DuVal Monsp

AVENIONE

Ex Officina JOANNIS JOSEPHI CHABRIER, in Plateâ Collegii Typograp. & Bibliop.

M. D. CC. LI.



TRACTATUS DE MORBIS CAPITIS EXTERNIS.



N exponendâ morborum capitis externorum æthiologiâ, perpendenda ſunt vitia quibus partes externæ capitis affici ſolent; illud Sectione unicâ perficere conabimur; in quâ Morbos Capitis Externos, pro viribus exponemus.

SECTIO UNICA DE MORBIS CAPITIS EXTERNIS.

PArtes capitis externæ præcipuæ ſunt oculi, aures, nares, lingua, & integumenta toti corporis habitui communia, ſingularum itàque harumce partium vitia hoc eodem ordine proſequi juvat quatuor diſtinctis Capitibus prætermiſſis de induſtriâ Affectibus Cutaneis quorum explicatio ad Chirurgiam pertinet.

CAPUT I.

De morbis oculorum.

PLures in oculo partes confiderandæ fefe offerunt quarum præcipuæ funt tunicæ oculum obvolventes, pupilla, humores varii, retina, caruncula lacrymalis, de quarum omnium vitiis figillatìm agendum eft totidèm Articulis fequentibus à partibus externis, & anticis oculi progrediendo ad pofteriores quæ internis latent, nec deprehenduntur nifi Sectione.

ARTICULUS I.

De ptherygio, feu ungue oculorum.

EX fuperiore, vel inferiore, vel lateralibus oculi partibus nafcitur præternaturalis quædam ex-crefcentia quæ nunc ad conjunctivam tunicam, nunc ad corneam, imò ad pupillam ufquè fæpè exporrecta, eafquè partes obtegens vifioni plurimùm officit.

Duplicem hujus excrefcentiæ fpeciem Authores agnofcunt pro variâ ipfius naturâ, atque adeò quamlibèt peculiari nomine infigniunt.

1°. Si excrefcentia membranea fit pellucida, & unguis inftar humani, aut alæ parvæ volucris extenfæ verfùs pupillam producatur,

unguis oculi, vel *ungula*, Græcis *Ptherygium* dicitur : nonnullis quoque placuit eam *ſagittam* appellare ob ſimilitudinem quam habet aliquando cum triangulari ſagittarum cuſpide.

2°. Si excreſcentia rubra ſit turgidis vaſis ſanguiferis interſperſa, & contenti panni ſpeciem deferat, Latinis *pannus*, *panniculus*, *tela*, *telaris excreſcentia* Arabibus verò *ſebèl* nuncupari conſuevit.

Morbus hic ad tumorum genus revocari debet ; potiſſimùm in carunculâ lacrymali, in majore oculi cantho poſita, & nihil aliud eſt quam ipſius expanſio; nonnumquàm tamen, licèt rariùs originem ducit ab adnatâ ſeu conjunctivâ tunicâ, cuius lamina exterior expenſa prætermodum, & vel ex ſuperiore, vel ex inferiore oculi parte, vel ex minore ejuſdem angulo prodiens ad pupillam ſensim progreditur.

DIFFERENTIÆ.

Peti debent differentiæ à ſextuplici Capite 1°. A ſitu, alius enim in carunculâ lacrymali, alius in externâ adnatæ ſuperficie collocatur ſedem habet. 2°. A colore, ut dictum eſt, ſic Unguis à panno diſcrepat. 3°. Ab excreſcentiæ conſiſtentiâ quæ nunc craſſa eſt, nunc carnoſa, nunc verò tenuis, & membranacea, nunc dura & mollis. 4°. Ab extenſionis longitudine, modò enim excreſcentia adnata in tunicâ terminatur, modò ad corneam pergit, modò pupillam attingit. 5°. Pro vario quo partes dictas obvelat modò, nunc enim eas ità obtegit ut ab iis tamen facilè ſeparari queat nunc ipſis quaſi continua pertinaciter adhæ-

rescit. 6°. Demùm pro simptomatum diversitate *Unguis* vel *Pannus*, alius dicitur simplex, alius exulceratus, alius Cancrosus.

CAUSÆ.

Excrescentia hæc in genere debetur majori fluidorum quantitati quâ vasa conjunctivæ, vel carunculæ lacrymalis dilatata majus spatium occupant, & solito magis prominent: hæc fluida duplicis sunt generis, vel sanguis, vel lympha; sanguis, si excrescentia rubra sit, & inflammatione seu fluxione crescat; lympha verò si membranacea, pellucida, albicans & sensim, hoc est congestione generetur.

1°. omnis inflammatio supponit obicem in vasis sanguiferis, & cruorem in suis vasis hærentem & cumulantem, obex à triplici causâ producitur, obstructione, compressione & constrictione. 1°. vasa obstruuntur sanguifera à contento sanguine, vel violentiùs irruente ob vicinarum partium infarctum, sic diuturniori ophtalmiæ, inflammationi palpebrarum, narium, sic sacci nasali affectibus carunculæ inflammatio succedere solet, vel inspissato, vel ab aëre frigidiore, præsertim incalescentibus oculis, aliisque causis tàm internis quàm externis. 2°. Conjunctivæ, vel carunculæ lacrymalis sanguifera comprimuntur à glandulis vicinis vasisque lymphaticis tumefactis, eo pacto tumescentibus tarsi glandulis, vel lymphæ ductibus conjunctivæ tunicæ pannum quandoque supervenire certum est. 3°. eadem vasa constringuntur si eorum fibræ tendineæ exquisito

ſenſu præditæ irritentur ſolito fortiùs, quod continget ob illapsá imprudenter in oculum corpora aſpera & aëria, aliaſque cauſas lacrymationem inducentes, puta fumum, aërem pulverulentum, ipſam etiam lacrymarum ſalſedinem.

2°. Congeſtio fit ab humoribus lentè motis, atque expertibus fermentationis qualis eſt lympha, hæc autem aggeritur uberius propter obicem ductuum lymphaticorum; cauſæ verò ejuſmodi obicis eædem admittendæ ſunt, ac illæ à quibus pendet inflammatio, obſtructio, compreſſio & conſtrictio; hoc interim diſcrimine quod inflammatione obex ſubitò fiat ob vim ſanguinis hærentis ac fermenteſcentis ſubitaneam, in congeſtione verò ſenſim, & ſine ſenſu ob debiliorem lymphæ motum obſtructio vaſorum limphaticorum lymphæ coagulatæ, vel uberiùs appellentis, compreſſio earum, circumjacentium partium tumoribus, conſtrictio denique validioribus fibrarum ſenſibilium criſpaturis tribuenda, ſic ſchirrus glandularum per palpebræ cartilaginem, aut per adnatæ ſuperficiem diſſeminatarum à lymphâ viru venereo, aut ſcrophuloſo induratâ, ſic aër nebuloſus ac frigidus, nivea tempeſtas, ſic variolarum aut morbillorum puſtulæ in oculo enatæ, ſic carunculæ ulcera præſertim illa quorum labra ſunt calloſa, ſic demùm fluxiones oculorum aſſiduæ, aliaque conſimilia limphæ congeſtionem nimiam in prædictis partibus, proindèque Pterygium remotè producunt.

Oculorum debilitas, ſeu vaſorum ad oculos pertingentium laxitas, vel anguſti p[illegible]

caufis difponentibus habendæ funt, atque hinc eft cur ii quibus oculi multùm prominent, vel nimiùm compreffi funt lippi, cutes, & ad ophtalmiam proni cœteris frequentiùs hoc malo corripiuntur: fimilem ob caufam Pterygium aliquando morbus eft hæreditarius.

SYMPTOMATA.

Simptomata alia panno, alia Pterygio propria funt, alia utroque communia. 1°. Quoad communia fimptomata. 1°. In utroque morbo adeft excrefcentia, ut diximus, quæ à fanguinis vel lymphæ collectione nimiâ deduci poteft. 2°. Hoc genus excrefcentiæ à partibus oculi quibuflibet inferiori, fuperiori, laterali, dextrâ, vel finiftrâ prodire Authorum monumenta notum faciunt quod quidem probat illam oriri à productione exterioris conjunctivæ laminæ nimiùm dilatatæ, fin autem à majori, & interno oculi cantho quod frequentiùs accidit, fobolefcat non modo conjunctivam, fed potiffimum lacrymalem carunculam ibidem fitam affici probabile eft. 3°. excrefcentia hæc fcabra eft & inæqualis ob inæqualem vaforum extenfionem quâ fit ut venæ aliæ, aliis magis promineant hinc fcabritici fènfus nutantibus oculis percipitur. 4°. Eadem excrefcentia pro majori minorivè vaforum extenfione nunc juxtà fuperficiem conjunctivæ dumtaxat, nunc longius ad corneam nempè producitur, nunc denique pupillam, vel ex parte, vel eam ex toto obtegit, hinc vel integra erit vifio, vel obfcura, vel penitùs abolita. 5°. modò Unguis con-

junctivæ adhæret firmiter, ipsique continuus est, modò verò contiguus, & ab illo facilè primùm fit, vel cum excrescentia pendet ab extensione ipsius adnatæ tunicæ, cujus lamella exterior servat eam quam priùs habebat cum sublatâ inferiori laminâ continuitatem, vel quando carunculæ productio inveterata est, & lymphâ perpetim exundante veluti aliquo glutine suppositæ, conjunctivæ adnascitur, ipsique agglutinatur; contrà verò unguis ab adnatâ facilè separabitur dum carunculæ extensio recens est.

2°. Symptomata panno propria sunt 1°. Rubicundus ejus color ob venarum turgescentiam quibus intersperfus deprehenditur. 2°. Quoniam pannus à sangnine fit, & vel phlogosim, vel inflammationem adjunctam habet cæteris symptomatibus inflammationi propris nempè calore & dolore stipabitur. 3°. Hæc symptomata pro majori aut minori infarctu, nunc mitia, nunc gravia futura sunt, hinc dolor interdum acutus interdum lævis & pruriginosus. 4°. Præpedito sanguinis circuitu per carunculam lacrymalem sanguis uberius ad vicinas partes divertet, easquè opplebit, hinc partium vicinarum nempè adnatæ tunicæ, palpebrarum & inflammatio, imò aucta infarctus vehementia tumor frontis ac superciliorum excitabitur. 5°. Sanguis si in suppuratum abeat abscessum, vel ulcus inferet, prout pus vel effundetur, vel in systide continebitur, sin autem divisus ac tenuis factus discutiatur, vel à vasis resorbeatur, tumor resolutionis viâ terminabitur. 6°. Post factam resolutionem, si vasa solitum ac naturalem elaterem recuperent, san-

guinem aut lympham hærentem ex toto propellent, priſtinaque reſtituetur carunculæ magnitudo, ſin verò eadem vaſa ultra tonum delata & laxiora liquorum ſtagnantium renitentiam ſuperare nequeant, caruncula ſolito major permanebit; priùs fit dum morbus recens eſt, poſteriùs quando eſt inveteratus. 7°. Caruncula grandior perſtare nequit ſublatâ inflammatione quin perſeveret aliquandiù, ſin minùs ſanguinis, & ſaltem limphæ hærentia, quin pariter laxata vaſa ſanguifera novum facilè vitium ſuſcipiant; ergò ſuperſtite carunculæ inflatione, vel Unguis novus à congeſtione limphæ, vel novus pannus a cumulato ſanguine levi datâ occaſione inducetur. 8°. Excreſcentia quæ in panno obſervatur, carnoſa eſt, & ſatis craſſa quod in hac tumoris ſpecie plurima extendantur vaſa tàm ſanguifera quàm lymphatica, imò fungoſæ carnes ac molliores liquorum appulſui facilè cedant, multumque ſuccreſcant. Hoc autem præſertim obſervare licet in panno qni carunculæ exulcerate adnaſcitur. 9°. Tandem humores in fungoſis hujus modi carnibus morantes vitioſam contrahunt acredinem, quâ ſolidis deſtruendis apti fiunt, hinc eſt cur pannus ab hiperſarcoſi productus, non rarò carcinomatodem naturam induit. ſimptomata Pterygium ſeu Unguem comitantia ſunt.

1°. Color albicans qui à contento humore lymphatico naturâ ſuâ pellucido repetendus eſt.

2°. Excreſcentia, undecumque orta fuerit, tenuis eſt admodùm, membranæ ſimilis, & pelliculam complanatam efformat,

quia pauca vaſa, & minutiſſima tùm carunculæ lacrymalis, tùm exterioris adnatæ laminæ obſtructa, & impedita juxtà longitudinem dumtaxat expanduntur, obſtante ſcilicet iteratâ palpebrarum ſuperjectarum preſſione, eorumdem vaſorum ſecundum latitudinem acreſſione.

3°. Pterygium ab hærente & aggeſtâ lymphâ producitur; verùm lympha humor eſt lentè motus, nullamque proindè ſubitaneam vim vaſorum tunicis inferre potis eſt, ſéd potiùs ſenſim cumulata pelliculam quandam per gradus, ac pedetentim efformet, ergò pterygium a congeſtione fit, nulloque dolore, calore ve ſtipatur.

4°. Id genus excreſcentiæ molle erit ac flexibile, ſi contenta lympha adhuc fluida ſit, & ſimul tunicæ vaſorum flexilitatem ſuam nondùm amiſerint. Secùs verò ſi lympha ob diuturniorem moram obduruerit, pellicula dura ac ſchirroſa futura eſt.

5°. Idem accidit ſchirroſo pterygio quod cæteris ſchirri ſpeciebus, nempè quemadmodùm ſchirrus mammarum, uteri, aliarumque partium, mutatâ humorum indole, vel in motum actis ſopitis lymphæ ſalibus in cancrum abire ſolet, ità & quoque unguis topicorum ab uſu, affrictu nimio, ac repetito, aut vitiatâ ſanguinis diatheſi in cancroſum tumorem aliquandò degenerat, quo in caſu acriter dolet, pluribuſque deinceps puſtulis ſaniem jugiter fundentibus exaſperatur.

DIAGNOSIS.

Oculorum excreſcentiæ viſu patent: an

ſit pannus vel Pterygium ex ejus colore, & craſſitudine facilè dignoſcitur. Tumorem cancroſum eſſe dolor lancinans, caro fungoſa, fæda ſanies & corroſiva manifeſtò indicant. Cauſæ remotæ ex antecedentibus & concomitantibus erui poterunt.

PROGNOSIS.

Hic tumor ſatis gravis eſt tùm ob molliorem, teneramque oculorum texturam quæ fortiora remedia non patitur, tum ob vitiatum viſionis exercitium. Importunus quoque eſt ac moleſtus ob ſenſum alicujus corporis extranei, qui inter varios nictitationis motus percipitur, graveſque ophtalmias quas accerſere ſolet. Periculoſus quandoque; imprimis ſi negligatur, quia ulcus, abſceſſum, aut cancrum advocat.

Varianda prognoſis 1°. Pro variâ tumoris naturâ ſic pannus faciliùs curatur Pterygio, quod fit per congeſtionem, & in quo lympha concreta, & indurata difficiliùs ſolvitur, niſi aliundè pannus ab hiperſarcoſi pendeat, tunc enim imminet cancri periculum, ſic etiam ulceratus, & cancroſus ſimplici periculoſior futurus eſt.

2°. Pro diuturnitate morbi & extenſionis magnitudine. Sic recens inveterato, ſic ille qui ab adnatâ & corneâ facilè dimovetur, eo qui ſtrictè his tunicis adhæreſcit, ſic demùm ille qui adnatam non prætergreditur, faciliùs cedit eo qui exporrigitur ad pupillam.

3°. Pro ægrotantium temperamento & ætate, ſic juvenis ſenibus, ſic robuſti, &

optimæ temperaturæ homines delicatulis, ſtrumoſis, melancholicis, aliiſque malè conſtitutis faciliùs perſanantur.

CURATIO.

Utrique excreſcentiæ ſpeciei remedia conveniunt, tàm interna quàm topica, eorum tamen uſusvariandus pro diverſis cauſis, diverſâque tumoris indole.

1º. Etenim in panno, præmiſſâ diætâ refrigerante, imprimis ſi inflammatio gravis ſit, venæ ſectio ſæpius iteranda quam in Pterygio, purgatio levis adhibenda, verbo pari ferè modo procedendum eſt, ac in ophtalmiæ curatione de quâ inferius dicturi ſumus, principio topica, anodina, & demulcentia, poſtmodum reſolventia, poſtremò repellentia, & aſtringentia exterius applicanda ſunt. Si prædictis remediis inflammatio non reſolvatur, ſed in ſuppuratum abeat, & abſceſſum producat, promovenda abſceſsûs apertura, ulcus dein detergentibus & cicatriſantibus conſolidandum, ac tandem ſedata inflammatione, aut ſublatis ſymptomatis inflammationem ſubſequentibus ſuperſtes excreſcentia, ſi quæ ſit iiſdem tractanda medicamentis, ac Unguis qui abſque ullâ præviâ inflammatione ab humorum congeſtione dependet.

2º In Ungue ſeu Pterygio præmiſſis univerſalibus prout opus fuerit attendendum maximè an recens morbus ſit, an inveteratus, ſi primum diverſi generis topica reſolventia adhibe quibus excreſcentia abſumatur, talia ſunt aquæ variæ diſtillatæ, che-

lidonii, euphrasiæ, raphani, fæniculi, artemisiæ *&c.* Succi earumdem Plantarum, vinum album cum saccaro candido, testa ovorum in aceto macerata, dein siccata, & in pollinario redacta, thus; thutia præparata, aloë, cornu cervi ustum, vitriolum album, aqua benedicta *Rullandi*, cinis limacum, æs ustum, ossa sæpiæ, lapis hæmatites, aliaque benè multa ex quibus conficiuntur collíria in oculos guttatim identidem instillanda, vel pulveres varii ungulæ inspergendi. Cave tamen saltem initio ab acriorum topicorum ab usu, incipiendum est à mitioribus quæ minus irritant, & sine ullo doloris sensu, ad validiora deinceps progrediendum, imò verò his adjungenda sunt anodina & emollientia, ut minuatur partis tensio, nimiaque topicorum acrimonia obtundatur.

Interim non omittenda sunt interna remedia, incidentia nempè & aperientia quæ sanguinem & lympham dividant, inter quæ primas tenent variæ chalibis, & mercurii præparata, &c. quibus hidrargirosis anteponenda est si Pterygium à viru venereo produci, vel foveri sit suspicio.

Ubi verò tumor ob diuturnitatem altiores egit radices, actionem Medicamentorum eludit, proindèque ad opem Chirurgicam confugiendum est, quâ unguis filo duplicato hinc & inde deligatus, atque suspensus scalpello incisorio ad basim usque exscinditur; peractâ dein operatione vulnus abstergendum est, & cicatrice obducendum topicis convenientibus.

At si his omnibus incassum præscriptis aut neglectis, excrescentia in cancrum abierit sola

ſola ſupereſt palliativa curandi methodus, quæ ægrorum vitam prolatando ſuſtentare poſſit.

ARTICULUS II.

De Anchilope.

JUxtà majorem oculi canthum & naſi radicem aliquandò excitatur protuberantia quædam præternaturalis, ſeu tumor in punctis lacrymalibus, aut ſacco naſali ſedem habens qui Anchilops à Medicis nuncupatur.

DIFFERENTIÆ.

Hic tumor diverſus eſt pro diversâ ipſius naturâ & magnitudine; ſub 1°. reſpectu alius eſt inflammatorius & fit per fluxionem, alius verò inflammatione caret, & per congeſtionem generatur, prior ad Phlegmonem revocandus, poſterior nunc ſimplex eſt ſacci naſalis dilatatio varicoſa ſeu hernia, vel ut aliis placet ejuſdem ſacci Hidrops, nunc Atheromatis, Meliceridis, aut Stheathomatis indolem refert.

2°. Pro tumoris magnitudine alius dicitur Anchilops ſuperficiarius, alius profundus.

CAUSÆ.

Si tumor inflammatorius ſit aut ſchirroſus eaſdem agnoſcit cauſas à quibus Pannum, vel Pterygium pendere ſuprà oſtendimus, ni-

mirùm hærentiam & congestionem sanguinis, aut lymphæ in vasis quibus constat geminus punctorum lacrymalium ductus, vel ipsemet saccus nasalis, undè suboritur tuberculum nunc rubrum, calens & dolens, nunc durum, renitens & indolens quibus ulteriùs enumerandis supersedere juvat, quoniam ex iis quæ in præcedenti Articulo dicta sunt, haud ægrè repeti possunt.

Qnod autem ad varicosam sacci nasalis dilatationem spectat, quæ causa est Anchilopi propria, hæc à præpedito solito lacrymarum ad nares effluxu deducenda, quo fit ut lacrymalis humor suprà obicem vim suam in ejusdem sacci latera exerat, ejusque pariter diducat, & extendat.

Verùm inhibetur consuetus lacrymarum ad nares effluxus propter sacci nasalis lacrymas excipientis obstructionem, compressionem, vel constrictionem.

1°. Sacci nasalis obstructionem pariet, vel contentarum lacrymarum viscíditas, quâ effluxui minùs comparatæ ultrà progredi nequeunt, & viam pergere ad nares, vel tuberculum aliquod in sacci nasalis cavitate genitum.

Humor lacrymalis præternaturalem viscíditatem contrahet triplici potissimum ratione. 1°. Si justo crassior ac viscidior à sanguine ejusdem indolis secernatur. 2°. Si post factam secretionem aëre frigidiori, vel acidorum Colliriorum ab usu inspissetur. 3°. Si oneretur partibus extraneis quas fluiditatis motu secum abripit, deducitque ad saccum nasalem, tales sunt partes terreæ ab aëre pulveruiento suppeditatæ, materiæ saniosæ,

aut purulentæ quæ ab ulceribus conjunctivæ, vel corneæ dimanant, limpitudinis crassioris particulæ &c.

Tuberculum in sacci nasalis cavo producetur, si glandulæ quæpiam quibus interna ejusdem sacci facies undequaque consita est, tumefiant, tumefient autem si humor mucosus obliniendo sacco nasali destinatus in iis ob crassitiem nimiam hæreat, & coacervetur.

Mucosi illius humoris viscìditas, vel caussis generalibus sanguinem inspissantibus, vel vitio alicui peculiari puta veneno scorbutico, cythereo, aut scrophuloso adscribenda.

2°. Saccus nasalis, vel ductus gemini lacrymales, ex quorum cohalitione saccus ille efformatur comprimi nequeunt, nisi à partibus viscidis intumefactis, proindèque evidens est vasa sanguifera aut lymphatica ductibus ad saccum nasalem pertingentibus proxima, si prætermodum tumeant, iis compressionem illatura, vel saccum nasalem pariter necessariò comprimendum si canalis osseus quo veluti Thecâ ambitur, undique exostosi afficiatur quod quidem vitium in lue venereâ ossibus familiare est.

3°. Tandem sacci nasalis tunica fortiùs constringetur, ob validiores irritationes, simpathicosque liquidi nervei influxus, quibus ejus fibræ convulsivè crispantur. Irritationes illæ fiunt vel in ipsâmet sacci tunicâ, vel in partibus vicinis, nempè oculo aut naribus, prior fit ab humore lacrymali acriori, aut corpusculis purulentis, saniosis, salinis, cœterisque quomodocumque vellicantibus, fœto, vel ab herrinis pariter acrioribus vehementiùs insufflatis, vel denique à liquidis

in tunicæ ſubſtantiâ hærentibus collectis, & nervos nimiùm diſtrahentibus. Poſterior verò à cauſis conſimilibus in oculum, vel nares actionem ſuam edentibus, quibus liquidum nerveum in prædictas ſacci naſalis fibras ſimpathicè determinatur.

Cauſæ remotæ & antecedentes ex ſex rebus non naturalibus depromendæ ſunt.

SIMPTOMATA.

1°. In Anchilope afficiuntur punctorum lacrymalium ductus, aut ſaccus naſalis, ergò tumor juxtà majorem oculi canthum, & naſi radicem debet effloreſcere, ſivè autem à ſanguine, ſive à lymphâ, ſive ab humore lacrymali pendeat; perindè eſt ad partis elevationem, fluida enim cujuſcumque generis ſint morâ & quantitate vaſa in quibus cumulantur, ampliant & extendunt.

2°. Si tumor à ſanguine oriatur, Phlegmonodes eſt, & adjuncta habet inflammationis ſimptomata, nempè calorem, ruborem & dolorem, quod potiſſimùm à vi ſanguinis vaſa confeſtim expandentis repetendum cenſemus. ſi à lymphâ tumor durus eſt ac indolens, ob debiliorem lymphæ motum, ejuſdemque indureſcentiam, atque tunc pro variâ lymphæ indole, nempè prout hæc ad pultis, mellis, aut ſibi naturam vergit atheroma, meliceris, aut ſteatoma haberi poteſt. Tandem ſi ab humore lacrymali congeſto producatur, varicoſus futurus eſt, atque magis extenſus quam in præviis caſibus, in quibus circumſcriptum naſcitur tuberculum.

3°. A quâcumque causâ tumor ortum ha-

beat, nunc major, nunc minor est, nunc superficiarius, nunc profundus, quod tùm à diverso vasorum obice, tùm à majori vasorum affectorum numero deduci debet.

4°. In anchilope saccum nazalem angustari necesse est, quod fieri nequit quin præpediatur solitus humoris lacrymalis ad nares progressus, hærebit ergò ille suprà locum obstructum, novamque fluxuri humoris copiam ab ingressu arcebit, quæ extrà oculum per genas involuntariè effluet, hinc epiphora.

5°. Tumore à naribus versùs puncta lacrymalia exteriùs compresso contentus humor lacrymalis debet refluere in oculum quo exoneratus nazalis saccus paulisper detumescit, hinc in varicoso anchilope tumor facta compressione cessat, novaquè dein lacrymarum congestione iterùm exurgit.

6°. Tumor in anchilope, qualiscumquè ille sit, nullâ stipatur solutione continui, nihil ergò perlucidis lacrymis admiscetur, quod eas turbulentas facere possit, proindèque lacrymalis humor compressione eductus lympidus & vitii expers futurus est.

7°. Mucus narium non parùm ab humore lacrymali aqueo diluitur, ergò eo deficiente crassior erit & viscidior, parciùsque secernetur, undè in anchilope siccior erit naris angulo oculi affecto prospiciens.

8°. Impedito humorum circuitu in punctis lacrymalibus aut in sacco nazali sanguis ad vasa viciniora uberiùs appellet, ergò caruncula lacrymalis quæ hisce partibus proxima est; sanguine copiosiore oppleta inflammabitur. Ex eâdem ad conjunctivam irruentis sanguinis quantitate ophtalmiam repetendam esse nemo non videt.

9°. Quamvis anchilops ſchirroſus ſit aut varicoſus, nequè inflammmationem eſſentialiter adjunctam habeat ſaltèm initio, nonnumquam tamen, præſertìm ſi perſeveret, ſolet inflammatione ſtipari quia ſacci naſalis vaſa vel à lymphâ hærente, vel à lacrymis pariter collectis compreſſa, ſanguinis circuitum interturbant.

10°. deniquè inflammatorius tumor ſivè eſſentialis, ſivè accidentalis fuerit, ruptis vaſis ſanguiferis, ſanguinis effuſionem promovet, & puris generationi anſam præbet, hinc anchilops lapſu temporis in ulcus ægilopis nomine cognitum ut plurimùm degenerat.

DIAGNOSIS.

Anchilops ex ejus ſede & ſimptomatis jam enumeratis facilè dignoſcitur, an autem inflammatorius ſit, an ſchirroſus, au varicoſus intelliget quiſquis ad naturam tumoris, & ſimptomata attendet. Superficiarius & profundus ipſis nudis oculis patet, deniquè cauſæ ex indole tumoris antecedentibus, & concomitantibus cuilibèt innoteſcere poterunt.

PROGNOSIS.

Anchilops difficilè curatur multiplici de causâ 1°. Quia remedia reſolventia huic tumori ſanando idonea inflammationem augent, ſi quæ ſit, ſin minùs eam promovent. 2°. Quia adnatam tunicam irritando ophtalmiam ſæpè pariunt. 3°. Quoniam difficilè admodùm introduci poſſunt apta topica in partem punctorum lacrimalium, & præſertim ſacci

nazalis abstructam. 4°. Demùm quod ob continuum oculorum motum nequeunt semel inducta satis diù contineri, quin potiùs repetitâ palpebrarum compressione, expressa brevi per puncta lacrymalia foras effluunt.

Importunus ac molestus tumor est propter epiphoram quam inducit. Inveteratus recenti, profundus superficiario periculosior. Tandem si carcinomatides fiat, periculosissimus censendus est ob gravem noxam quam infert vicinis partibus, eas exedendo, & ægilopem, ulcera phagædenica cariemquè ossium advocando.

CURATIO.

Ad curandum anchilopem habenda ratio causarum, nam prout illæ diversæ sunt diversimodè procedendum.

Dum anchilops pendet à sanguine aut lymphâ congestâ, & tuberculum producente simili fermè modò curandus est ac cæteri solent tumores inflammatorii, aut schirrosi remediis interiùs, & exteriùs usurpatis.

Quandò varicosus est, videndum pariter quænam sit obstructionis causa, suis quæquè convenientibus auxiliis oppugnanda, nimirùm si ab antecedente adnatæ aut corneæ ulcere ortum habeat, tractandum est ulcus modò in sequentibus articulis exponendo, si à viru venereo, scorbutico, strumoso instituenda therapeia quæ singulis his morbis debellandis, aut mitigandis competit.

Si causâ externa sit & evidens qualis est lacrymarum viscíditas ab Aëre frigido, pulverulento, spilis lippitudinis particulis fœto,

aut collyriis acidis contracta citrà ullum sanguinis vitium, tunc curatio solis remediis externis feliciter absolvetur.

Si tumor humorum vitiumpræsupponat ex quo prima mali labes, & lacrymalis humoris crassities orta fuerit corrigenda vitiosa humorum crasis internis medicamentis incidentibus, aperientibus, & sanguinem dividentibus.

Posteà externa remedia sivè topica obstructo sacco nasali reserando idonea in usum vocanda sunt tùm diluentia, tùm resolventia, inter quæ laudantur aquæ thermales, vinum tepidum, aquæ variæ ophtalmiæ, aliaquè hujus generis tùm naribus inspirata, tùm instillata in oculos quibus materia obstruens mollior facta liquorum appellentium impulsui cedit, & expellitur, sicque canalis ab obstructione liberatur. Iisdem aquis thermalibus, naturâ suâ ferventibus, aut arte excalefactis, præcipuè bellilucanis partem affectam expedit exteriùs irrigare; iis enim motu materiis hærentibus indito, tumor aliquandò resolvitur: herrina pariter attracta, & inspirata per nares, saccum nazalem irritando, ad fortiores contractiones stimulant, sicquè obicem tollere valent obturaculum solvendo, eumque foras ejiciendo.

Verùm inter cætera præstant specilla Chirurgica tenuissima in alterutrùm punctorum lacrymalium ductum immissa quibus iter ad nares recluditur, vel siphunculi quorum ministerio liquores in saccum nazalem injicere fas est, eluendis materiis impactis accomodatos.

ARTICULUS III.

De Ægilope.

ANchilops de quo jam ſuperiùs dictum eſt ſi inflammatorius ſit, aut inflammationem comitem ſibi accerſiverit, vel in abſceſſum qui deinceps rumpitur, vel in ulcus plerumquè terminatur. Quoquomodò ſe res habeat, fit ægilops. Ægilopis enim nomine nihil aliud intelligitur quàm punctorum lacrymalium, vel ſacci nazalis ulcus ex prægreſſâ inflammatione, vel rupto abſceſſu oriundum. hoc vitio fertur capras præ cæteris animantibus frequenter affici, & idcircò ægilops dicitur à Græcis quaſi oculus caprinus, Arabibus verò garab, & algarab.

DIFFERENTIÆ.

Ulcus ſacci nazalis pro variâ puris indole & ſimptoma tùm vehementiâ, nunc ſimplex eſt, nunc malignum, nunc cancroſum: ſimplex pus coctum, albicans, & legitimum fundit, malignum pus crudum, malè coctum; ſanioſumquè ſuggerit, cancroſum deniquè ſivé carcinomatodes dolore lancinante ſtipatur, carnes exedit, fungos & calla excitat.

Alius quoquè ægilops in ſolâ ſacci nazalis exulceratione poſitus eſt, alius præter exulcerationem, obſtructionem ejuſdem ſacci conjunctam habet: prior ſimpliciter exulceratus poſterior verò ex obſtructione, ſimul & exulceratione complicatus vocari poteſt.

CAUSÆ.

Quandoquidèm ægilopis natura in ulcere consistit, purisquè effluxus simptoma est hujus affectui præcipuum, & essentiale, videntur ex eo deducendæ causæ omnes tàm proximæ quàm remotæ.

Vis igitur quâ abcessus cystis disrumpitur, & pus contentum effundit, vel ea quæcumquè partis inflammatæ suppurationem promovent pro duplici causâ proximâ haberi possunt.

1°. Rumpitur abscessus vel ex motu aliquo violento corporis, puta sternutatione, vel quia involvere sistidem efformantia, ab incluso purè extenuata, tandèm rumpuntur vel ab eodem erumpuntur.

2°. In partibus inflammatis pus generatur dum ruptis vasis quibusdam sanguiferis, cætera ipsis vicina quæ integra remanent, pulsant fortiùs, sanguinemque & lympham in extremis vasorum ruptorum hærentem mutato colore in liquamen purulentum convertunt, quapropter præcedens inflammatio sisterophica, hoc est quæ cum sanguinis effusione fit ægilopem immediatè producet vitali vasorum integrorum motu præternaturam adaucto.

Cæteræ causæ antecedentes & remotæ eædem sunt ac anchilopis de quo suprà.

SIMPTOMATA.

Prout simplex est ægilops vel cum obstructione conjunctus diversa habet simptomata jam enumeranda.

Si ſimplex ſit ſacci nazalis exulceratio ſine obſtructione ullà ejuſdem canalis, planum eſt.

1°. Lacrimalem unà cum ſanguine aut,ſanie ad cavitatem narium fluxurum via ſatis libera.

2°. Quoniam tamen materiæ purulentæ, aut ſanioſæ nimiâ ſuâ acredine ſaccum nazalem vel ejus emiſſarium irritant, ſtringunt, inflammant, vel mole ſuâ, & particularum craſſitie obſtruunt, futurum neceſſario ut illæ unà cum lacrymis ſuprà obicem detineantut, & ſaccum nazalem dilatent, hinc tumor ut in anchilope è quo pus vel ſponte, vel in oculum defluendo dimanat, vel preſſo angulo exprimitur.

3°. Expreſſis materiis purulentis quæ tumorem antè efficiebant, hunc pro tempore ſubſidere neceſſe eſt, donec per novum, novusque lacrymalis humor denuò colligatur.

4°. Idem pus non modò ſaccum nazalem, & punctorum lacrymalium ductus copiâ ſuâ extendit, verùm etiam extrema eorumdem punctorum oſtia in oculum hiantia, per quæ ſubindè exprimitur, irritat, proindèque præpedito ſanguinis circuitu ruborem, punctis prædictis lacrymalibus inflammatorium communicat.

Ubi verò exulceratio ſacci nazalis tum obſtructione complicatur, ſive ob ſimultaneam cauſarum obſtruentium, & ulcus inducentium actionem, ſivè ob ulcerum callos, fungoſaque labia. ſivè ob craſſiores puris moleculas ductum penitùs occludentes, ſivè demùm ob convulſivam, uti mox dictum eſt, fibrarum criſpaturam, tunc ſequentia oriuntur ſimptomata, ac.

1°. Quidem obturato ſacco naſali, vel ejus emiſſario, pus lacrymis admixtum, obſtante impedimenro, nequit transferri ad nares, undè contigit ut in anchilope ſiccitas narium.

2°. Colligenda igitur materies ſupra obicem quæ anchilopem ſeu turbeculum juxtà naſi radicem inferet.

3°. Collectus humor, vel repleto ductu ab obice ad punctorum lacrymalium orificia pure tum copioſo, tum canſticâ vi prædito, phlegmonodeâ rubedine afficientur; ſimilem ab cauſam caruncula lacrymalis inflammabitur.

4°. Dum collecto humore plenus eſt ductus debebunt lacrymæ ob denegatum earumdem ingreſſum in puncta lacrymalia extrà oculum effundi, ergò epiphora ſuperveniet, eaque purulenta propter puris cum lacrymis commixtione.

5°. Partis exulceratæ labia tum lacrymis, tum humore è glandulis per ſacci naſalis tunicam diſperſis ſecreto perpetim irrigantur, laxanturque, undè minuitur vis vaſorum elaſtica, & lymphaticus humor ibidem ſecretus, minori vi actus, & moram trahens inſpiſſatur, non parum aliundè conferunt ad hoc opus externi aëris frigiditas, imò fortè ſubtiliores particulæ puris inſpiſſandæ lymphæ idoneæ, quæ extremos ductuum lymphaticorum meatus ſubeundo eidem lymphæ exiturienti viam præcludunt, hinc labrorum ulceris durities ſeu calli.

6°. Lympha indurata & craſſefacta ſi in motum concitetur, & cum vicino ſanguine phlegmonem inducente permiſceatur, ſaniem creat corroſivam carnes exidendi vi

præditam

præditam, undè ulcus phagædenicum, & cancrosum evadet.

7°. Ægilops neglectus aut malè curatus cæterorum ulcerum more in quibus pus divitiùs coercetur sensim agit cuniculas, adeòque serpens in vicinas partes ulcus sinuosum seu fistulam lacrymalem infert.

8°. Tandem pus in fistuloso ulcere coercitum pro diversâ naturâ, diversâque partium dispositione, nunc apertâ cute exteriùs effunditur, nunc interius illatà proximis ossibus carie sibi intercudit præter solitum in narium cavitatem, nunc demùm vel inferiùs, separato obice per assuetam viam, nempè per sacci nasalis emissarium ad nares diffluit, vel superiùs ad oculos, palpebras, harumque cartilagines irrepit easque partes infestat.

DIAGNOSIS.

Ægilopem simplex ac decens purulentæ materiæ effluxus manifestè indicat, distinguitur ab anchilope, quod in hoc lacrimæ limpidæ & intaminatæ per puncta lacrymalia exprimantur, in ægilope verò pus vel solum ac sincerum vel saltem lacrymis admixtum dilabatur, à fistulâ lacrymali differt ob sinus in quos abire solet ægilops, si inveteratus fuerit, specillo explorandus.

Similiter hujus affectus differentias noscere arduum non est, nam 1°. Simplex, malignus, & cancrosus, ut suprà innuimus, ex notâ puris naturâ & symptomatibus cuilibet vel paululùm attententi patent. 2°. Conjicitur exulcerari dumtaxat saccum nasalem dum factâ compressione materia purulenta simul & in oculos defluit, & in na-

res truditur, obſtrui verò & exulcerari eumdem ſaccum ex ſiccitate narium, ſoloque puris effluxu per puncta lacrymalia certum eſt.

Cauſæ ægilopis remotæ, vel ab ægro, vel ab aſtantibus ſummâ adhibitâ diligentiâ perquirendæ, expendendum quoque an bona ſit, firmaque corporis conſtitutio an verò ſyphillitica, ſcorbutica, ſtrumoſa, &c.

PROGNOSIS.

Ægilops morbus eſt ſatis gravis, & curatu admodùm difficilis, tùm quia remedia ulcus detergentia, & conſolidentia vix ac ne vix quidem in ſaccum naſalem immitti poſſunt, tùm quia immiſſa difficilè retinentur, atque hinc eſt cur excitatis callis, & purulenta illicui è moram trahente ſinus efformentur, ulcuſque in fiſtulam lacrymalem ità frequenter faceſcat.

Indè colliges 1°. Ægilopem cancroſum, malignum ſimplici periculoſiorem eſſe.

2°. Simpliciter exulceratum in quo pus minùs ſtagnat, & per narium emiſſarium eliminatur, curam potiùs admittere quàm ex obſtructione ſimul & exulceratîone complicatum, in quo præclusâ viâ ad nares cogitur pus ſuprà obicem diutiùs remorari, vitioſumque contrahit naturam quâ carnes exedere, & calla generare aptum ſit.

CURATIO.

Quemadmodùm anchilops ità & ægilops duplici remediorum genere expugnandus 1°.

Itaque conveniunt eà interna medicamina quæ in cæteris quibuſcumque ulceribus internis præſcribi à Medicis ſolent : miſſis ergò in anteceſſum diætâ demúlcente, venæ ſectione ſi opus ſit, & blandiore Cathartico, lac vel aſininum integrum, vel vaccinum cùm infuſione herbæ thè, aut plantarum vulnerariarum, vel cùm decocto hordei, & graminis mixtum, dein coctum & ebuti ratum efficax medicina eſt.

1°. Utatur æger per menſem & ultrà, ſi ſtomachus ferat, lacte ; adhibenda quoque diluentia, & ſanguinem leviter dividentia, ſeu ut aiunt depurantia (imprimis ſi calla adſint) qualia ſunt juſcula alterata herbis refrigerantibus & aperientibus, vel ex cancris fluviatilibus, & pullo juniori parata, decoctum leve ſudorificum ex ſalſaparillâ, ſimiliter balnea, aquæ minerales acidulæ, & balzama varia ad guttas aliquot cùm ſirupo capillorum veneris uſurpata, V. G. balſamum tolutanum, peruvianum, aut de capahü mira præſtant ; etenim ſanguinis, & humorum molem fluidiorem reddere, eorum motùm attemperare, eorumqne acrimoniam demulcere valent.

2°. Quod ſpectat topica, videndum ſedulò an obſtructio ſacci naſalis ejuſdem exulcerationi adjuncta ſit, in quo caſu conducit ſtatim therapeia anchilopis in præcedenti articulo propoſita, poſt modùm ea quæ ſoli exulcerationi propria eſt.

Hæc autem triplicem habet ſcopum præcipuum primum ut calloſitates, ſi quæ tactu, aut ſpecillis deprehenduntur, reſolvantur, ſecundum ut pus, aut ſanies ulceris abſterga-

tur, tertium ut detersum ulcus exsiccetur, & ad debitam cicatricem perducatur.

Primum scopum assequuntur emplastra varia resolventia parti tumidæ exteriùs applicata nempè emplastrum de diachilo simplici, vel de diabotano, vel de ranis cùm mercurio, unctiones ex unguento Neapolitano factæ, aquæ rutæ cùm tantillo unguenti ægyptiaci, vel apostolorum, vel viridis æris similiaque hujus generis irritantia siphunculorum ope injecta, quæ ultima topica cautè præscribenda, ne nimium irritando & dolorem intendendo ulceris labra inflamment.

Deindè ulcus detergendum est decocto hordei cum melle rosaceo, vino rubro tepido, aquis ophtalmicis variis quibus balzami alicujus nonnullæ guttulæ adjiciuntur, aquis Thermalibus &c. quæ vel per nares inspiratione attrahenda sunt, vel per oculos syringe, aut parvis syphonibus immittenda, ut partes exulceratas attingant.

Tandem exsiccandum ulcus injectione aquæ secundo calcis cum sali ammoniaco, vel lixivio ex cinere & calce facto, imò ex sarcoticis & cicatrisantibus, nempe Aloë, Thure, Sarcocola, Alumine, sanguine Dragonis &c. fiant collyria modo jam dicto injicienda.

Insuper ægilopem solâ compressione exteriùs inductâ plerumque radicitus curatum fuisse compertum est, compressio hæc fit vacuato priùs pure, ac dein pellicicillis aliquot tùm super impositis, circulari fasciâ deligandis & continendis, vel ope ligaminis cujusdam ferrei nuperrimè inventi, eo pacto compressâ parte tumidâ, inhibetur novas puris geneses, novaque collectio, & sacci nasalis

vasa plus æquo dilatata tonum suum recuperant.

ARTILULUS IV.

De Fistulæ Lacrymali.

UBi primum ægilops inveteratus ulcus saniosum, profundum, callosum intulit, & sinuosus evasit, mutato nomine, fistula lacrymalis solet appellari. Per fistulam itaque lacrymalem nihil aliud intelligendum venit quàm fistulosum, seu sinnosum ulcus sacci nasalis, vel punctorum lacrymalium.

DIFFERENTIÆ.

Authores quidam duas fistulæ lacrymalis species assignant, spuriam unam seu notham, alteram veram seu legitimam cui allata definitio solùm competit; hæ duæ fistulæ in majore oculi cantho suum habent exitum per quem inter se conveniunt, discrepant verò ratione originis, spuria namque ex superiore oculi parte materiam purulentam accipit, legitima autem puncta lacrymalia, aut saccum nasalem pro gemino puris fonte agnoscit, undè patet in fistulâ lacrymali verâ, partes lacrymis ad nares deducendis dicatas affici, secus verò esse sine labe in fistulâ quæ spuria nuncupatur.

CAUSÆ.

Quoniam verò hic agitur potissimùm de fistulâ lacrymali verâ, cum insuper hæc fis-

tula ab Ægilope tantum differat quod in Ægilope simplex sit ulcus, in fistulâ verò lacrymali ulcus sinuosum, sequitur ea quæcumque sinus efficere poterunt inter causas fistulæ lacrymalis esse recensenda.

Statim autem puris moram, ejusque acrimoniam pro sinuum causâ proximâ statuere non dubitamus, quod quidem ratio suadet, firmat experientia; nam 1o. evidens est pus stagnare non posse, & cumulari in sacco nasali, quin vel illum extendat, vicinasque partes comprimat, undè præpedito in iis circuitu sanguis corrumpitur & abscessum generat, qui ruptus novum pus fundit cum sacci nasalis pure commiscendum, vel interstitia membranarum mole suâ & acrimoniâ quasi suffodiendo subeat, eaque ampliet. 2o. Observamus quotidie in cœteris corporis partibus pus genitum, nisi quam primùm educatur fistulas producere, sic in quibuslibet abscessibus pus diù retentum extenditur, serpitque adeò ut ex papulâ minimâ suppuratâ, nisi exteriùs rumpatur, pusque effundat, magnus quandoque abscessus suboriatur. Similiter constat pus laudabile, albicans, & probè coctum, ut dicitur, lentiùs cuniculos agere pure sanioso, fœtido & corrosivo, proindèque datur inferendum puris acredinem ad sinuum genesim proximè concurrere.

Retinetur pus in sacco nasali, quia vel saccus ille, vel ejus emissarium obstruitur. Obstruitur saccus nasalis à causis omnibus in Anchilope enumeratis quibus adjungi possunt fungosæ carnes & callosæ ex malè tractato Ægilop e nimium accrescentes, nec non variolarum. Pustulæ in eo sacco enatæ, ex qui-

bus disruptis effusa sanies ductus coalitum promovet. Emissarium verò sacci nasalis obturabunt ulceris narium fungosa labia, aut excrescentia poliposa.

Acrimonia puris vel ex morâ diuturniori, vel ex vitiatâ humorum indole deducenda.

Causæ externæ sunt ictus, casus ex alto, compressiones variæ &c.; causa demùm disponens habeatur prædictarum partium angustia: sic eos quibus nasus multum depressus est præ cæteris fistulæ lacrymali obnoxios esse certum est.

SIMPTOMATA.

1º. In incipiente fistulâ lacrymali quædam se produnt simptomata ut in Ægilope, nempè tumor in majore oculi cantho, quo compresso pus per puncta lacrymalia eructatur, naris siccitas, Epiphora, punctorum lacrymalium rubor, nec non carunculæ lacrymalis inflammatio, & abscessus quæ quidem omnia ex sacci nasalis obstructione, collectione puris, ejusdemque acrimoniâ facilè repeti possunt.

2º. Cumulatum pus in fistuloso ulcere lacrymali comprimit Vasa lymphatica, undè lympha hæret, & obdurescit, callosaque ulceris labra efficit.

3º. Quandoque tanta fit in punctorum lacrymalium orificiis inflammatio, vel exulceratio, ut ea claudantur penitùs, neque ulla tùm puris effluxui, tùm lacrymarum ingressui via pateat, hinc fistula cæca futura est assiduâ lacrymatione stipata.

4º. Clausis eo pacto punctis lacrymalibus,

ac ſuperſtite interiùs obice, ſaccum naſalem à contento, collectoque pure multò magis ampliare neceſſe eſt, imò & rumpi creſcente puris copiâ, modò verſus exteriora, & juxtà Palpebrarum comiſſuram, quo in caſu aperta tandem cute & exulcerata patet fiſtulæ ingreſſus, modò ad interiora, & tunc pus vicina oſſa, nempè os unguis, partem oſſis plani & maxillaris corrumpit, & carie inficit.

5°. Verùm quoniam inter hæc oſſa os unguis teneriùs eſt ac tenuiùs puris actionem cæteris potiùs experietur, & carioſum fiet, viamque eidem puri aperiet ad cellulas oſſis Ethmoidei proximas, quibus ſimili carie infeſtatis fiſtula cum naribus communicabit, atque adeò pus in narium cavitatem prolabitur; id autem præſertim continget in inveteratâ fiſtulâ.

6°. Denique ſi reſeratâ puris viâ per nares aperiantur puncta lacrymalia, tunc reſtituto lacrymalis humoris fluxu Epyphoram ſiſtendam eſſe obvium eſt.

DIAGNOSIS.

Ulcus fiſtuloſum non modo ex præcedente, & confirmato Ægilope, ſed ex fluente ſanie indicatur. Specillo inſuper explorandum ut certior ſit ejus Diagnoſis, & ut fiſtula legitima à ſpuriâ diſtingui queat, ad hæc inducto pariter ſpecillo innoteſcent fiſtulæ profunditas, ejuſque calla quæ ipſo etiam tactu facilè percipi poſſunt.

Ex diuturnitate ulceris, narium ſiccitate, & conſequente copioſo puris per nares effluxu

ossa erosa, & carie affecta fuisse suspicio est non mediocris, quod apertiùs patebit ex specillorum immissione quâ ossa inæqualia, & aspera persentiuntur.

De cætero causarum Diagnosis ut ex suprà dictis liquet, ex antecedentibus obtinebitur.

PROGNOSIS.

Omne ulcus sinuosum inveteratum est, & difficulter sanabile, ergò fistulæ lacrymalis Prognosis in genere mala, speciatim verò chronicus morbus est difficilis curationis, tùm ob rationes superius in Anchilopis & Ægilopis Prognosi allatas, tùm propter mollitiem sacci nasalis qui lacrymis contentis perpetuò madescit, imò ferè nusquàm raciditus curatur, sed Epiphoram sæpissimè post se relinquit.

Non eadem interim Prognosis semper instituenda: 1°. enim fistula lacrymalis inveterata ob ossium cariem, & callos sinuum recenti difficiliùs curatur.

2°. Legitima spuriâ periculosior quia pus in hac minorem quam in illâ moram trahit, faciliùsque favente situ elabitur.

3°. Ægrorum habitudinis habenda ratio est; sic in macilentis, siccis, melancholicis, scorbuticâ, strumosâ, aut venereâ lue iniquitatis, morbus hic vix curam suscipit, secùs verò in robustis ac bonæ temperaturæ hominibus.

4o. Rupto ad exteriora tuberculo, & effuso pure minùs est periculum, quàm si tuberculum versus interiora aperiatur, quia minùs metuenda est ossium caries.

5o. Si ulcus cancroſum evadat, ſummum imminet periculum, quia non modò remediis non cedit, ſed iis potiùs exacerbatur.

6o. Fiſtula lacrymalis inſanabilis cenſenda ſi ab obſtructione variolarum puſtulis inductâ dependeat, vel ſi à perito alioquin Chirurgo operatio incaſſum inſtituta fuerit, ſuperſtite adhuc ulcere fiſtuloſo.

CURATIO.

Si recens ſit fiſtula abſque callis, & oſſium carie methodo ferè ſimili tractanda eſt ac Ægilops, compreſſione nimirùm & injectionibus quæ quandoque feliciter ſuccedunt.

Sin verò ulcus inveteratum ſit callis refertum, corruptaque oſſa & carioſa, vel ſi remedia convenientia irrita fuerint, ſola prodeſt operatio Chirurgica, utcumque tamen ſæpè non rectè ſuccedat.

Verùm priuſquàm ad operationem deveniatur præparatione opus eſt præmiſſis ergò diæta, venæ ſectione, unâ aut alterâ pro Medici judicio, & lenioribus Catharticis, cauſæ variæ antecedentes quæ morbo occaſionem dedere, & ægrorum ſtatus, atque temperamentum examinanda ſunt, quapropter ſi lui venereæ, ſcorbuticæ, aut ſtrumoſæ natales debeat; ulcus remediis cuilibet veneno extinguendo propriis debellandum.

Si à nimiâ ſanguinis, & lacrymarum ſalſedine originem ducat, ſi ægri macilenti ſint, & biliosi temperamenti lue imprimis & alia demulcentia in uſum vocanda.

Si ex adverſo ulcus ab humorum craſſitie pendeat, ſi temperies ægrorum frigida ſit

& melancholica, vel obſtructionum ſigna adſint, diluentia & aperientia præcedere debent operationem.

Denique inflammatio ſi quæ ſit, vel in majore oculi cantho, vel in carunculâ lacrymali, imò & in ipſis oculis compeſcenda eſt anodinis, refrigerantibus & demulcentibus.

Quibus æquâ lance ità perpenſis Chirurgica operatio ſine ulla temporis cunctatione, tempeſtivè tamen inſtituenda ſequenti methodo.

1°. ægri ſedentis caput, decuſſatis ſervi manibus fronti applicatis Cathedræ dorſo pulſiatur.

2°. Oculus ſanus penicillis aquâ Roſarum imbutis cooperiatur, & faſciâ diligetur.

3°. Morboſo oculo aponendum eſt parvum coclheare argenteum ut non ſolùm obveletur oculus, ſed immotus etiam detineatur.

4°. Detegendus inciſionis locus, quod præſtabis cavitatem ulceris tactu, vel ſpecillo explorando.

5°. Perſpecto inciſionnis loco, ſecetur pars ſcalpro exciſorio, & ſemicirculariter ea lege... 1°. Ut pars ſectionis convexa, naſo, pars verò concava oculo obverſa ſit. 2°. Ut ſectionis angulus ſuperior incipiat juxtà naſi radicem, ſeu in parte inferiori proceſſus angularis interni oſſis frontalis, vergatque ſemircularitef ut jàm dictum eſt ad naſi latera, & tumorem ipſum, tandemque ad partem illam oſſis è quâ parvus obliquus ducit originem, terminerur. 3°. Ut media inciſionis pars à palpebrarum commiſſurâ tribus ad minimum lineis diſtet, alioquin ſecto loco in quo utraque palpebra coaleſcit, diradiarentur oculi, quod maximè vitandum.

6°. Demùm institutum, vulnus præsertim in mediâ sui parte convenienti instrumento chirurgico dilatandum, & linamentis implendum, ut cariosa ossa apertiùs pateant, peractâ sectione oppugnari solet ossium caries pluribus auxiliis Chirurgicis, iisque diversis.

Alii pulveres corrosivos & ossa absumentes adhibent, alii verò, quod potiùs est partes carie affectas ex toto destruunt, idque duplici methodo vel. 1°. Eas stilo acuto perforando, ac diffringendo, deincepsque in tractando vulnere fragmenta ossium educendo vel. 2°. Ferro candenti, seu Cauterio actuali quod suspensâ manu admovendum est, quia os Unguis ob tenuitatem facilè rumpitur, ruptum verò fuisse & perforatum liquet ex fumo & sanguine qui è naribus exeunt.

Hac arte paratur nova via lacrymis ad narium cavitatem deciduis quam apertam servare posse sperant Chirurgi usque ad perfectam curationem, spongiolam præparatam in nares immittendo filo duplicato in medio ligatam, dein vulneris fundum linamentis complendo, ac denique penicillis, fasciisque convenientibus partem obligando, posteà vulnus tractant more solito, fungosas carnes lapide caustico subitè comburendo, ne carnes excrescant citiùs quàm par est, & cicatrisationi officiant.

Eâ quidem methodo probè curatur ulcus lacrymale, & ossium Caries. Verùm quoquomodo instituta fuerit operatio igne videlicèt, aut solo ferro, molesta ferè semper perstat epiphora, si quidem vix possibile est

ut

ut destructis punctis lacrymalibus aut sacco nasali, quamadmodùm fieri assolet in prædictâ operatione, nova cudatur via lacrymis ad nares convehendis, cum accedente cicatrice vulneris apertura hinc indè carne oppleatur firmâ & solidâ quæ viam hanc novam penitùs occludit, & obstruit.

ARTICULUS V.

De Epiphorâ

FLuidum lacrymale per glandulam innominatam dictam, & per infinita granula glandulosa quibus conjunctiva exteriùs obsita est secretum, irrigandis oculis dicatum, fluiditate, pondere retro sequentis liquidi appulsu, & palpebrarum nictibus jugiter trusum, gemino foramine juxtà angulum oculi internum palpebris insculpto excipitur, indèque ad narium cavitatem perpetim amandatur. Hic autem humor si præ copiâ majore in guttas abeat sensibiles quæ ex oculo per genas difluant, lacrymas constituit, undè copiosa & sensibilis humoris oculos naturaliter irrorantis excretio, lacrymatio nuncupatur.

Excretio hæc vel ab animi pathematis tristitiâ videlicèt, amore, gaudio &c. excitatur, vel à causâ quâpiam præternaturali mox inferiùs investiganda. Prior tametsi naturalis non sit, quoniam tamen fit intrà sanitatis limites, neque medicamentis indiget, in morborum albo non recensetur; de

D

posteriore igitur lacrymatione agere decrevimus quæ constans est præternaturalis, & Medicorum opem expostulat. Hanc alio nomine epiphoram vocant Authores, vel oculorum stillicidium.

DIFFERENTIÆ.

Epiphora alia simplex est, alia complicata, simplex appellatur dùm sola adest fluxio, complicata dicitur, quandò dolori, calori & rubori oculorum adjungitur, & cum inflammatione aut exulceratione adnatæ tunicæ, aut palpebrarum complicatur.

Dividi etiam potest in idiopathicam, & simptopaticam prout vel sola invadit independenter à præcedente aliquo morbo, quamquàm rariùs, vel ut vulgò fit, alios prævios affectus consequitur, puta anchilopem, ægylopem, fistulam lacrymalem, ophtalmiam, phlictenas &c.

CAUSÆ.

Cùm quantitas lacrymalis humoris exuperans, quæ non potest à punctis lacrymalibus admitti, lacrymas efformet, sequitur ea omnia epiphoram advocatura, quæ uberiorem quam par est illius humoris fluxum promovebunt: uberior autem futurus erit lacrymalis humoris fluxus, si iste humor vel copiâ solito majori secernatur, vel secretus utcumque naturali quantitate à punctis lacrymalibus absorberi nequeat; utrolibèt modo res contingerit, congerendum fore lacrymale fluidum in oculis, & sensibili guttarum

formâ effluxurum consequens est.

Primus humor lacrymalis copiosus secernetur quadruplici de causâ ... 1°. Si sanguis aquosior sit, & nimiâ seri copiâ refertus. 2°. Si ad glandulas ejus secretioni servientes frequentiùs, & uberiùs appellat. 3°. Si laxentur earumdem glandularum Sphincteres retinendis humoribus à naturâ comparati. 4°. Tandem si eædem glandulæ fortiùs constringantur contentumque liquidum ubertìm exprimant.

1°. Quoad aquosam sanguinis Diathesim, quamvis hæc causa universalis sit, nequè proindè lacrymas potiùs quàm immodicam quamcumque aliam evacuationem movere queat, nihilominùs tamen suppositâ in lacrymali colo dispositione lacrymationis causa haberi potest. Hanc autem sanguinis crasim inferunt alimenta acria, piperata, potus nimius vini præsertim & liquorum ardentium, consuetæ evacuationes suppressæ, aliaque quæ sanguinem dissolvunt, & in fluorem quasi redigunt.

2°. Quantitas recrementorum quæ per sua incervicula secernuntur, quantitati sanguinis ad ea incervicula delati proportione respondet, ergò si sanguis ad glandulas lacrymis secernendis dicatas copiosiùs accedat, futurum necessariò ut lacrymæ quantitate solito majore secernantur. Sanguis autem uberiùs affluet ad glandulas suprà dictas propter vicinarum partium infarctum, ratione cujus ad vasa collateralia nempè ad eos carotidum ramos qui glandulis lacrymalibus inseruntur, derivatur. Sic conjunctivæ, palpebrarum, cæterarumque partium inflamma-

tioni ſuccedit aliquandò epiphora.

3°. Ex Anatomicis certum eſt extrema vaſorum excretoriorum orificia vi quâdam conſtrictoriâ donari, quâ inhibetur continuus humoris effluxus, imò potiùs ſecretus humor in colo aliquandiù acervatur, ergò ſi præternaturam acciderit, ut glandularum lacrymalium ſphincteres laxentur, ſequitur eos retinendis lacrymis impares fore, hiſque continuò, & jugiter fluentibus aditum conceſſuros; tale vitium obſervatur præcipuè in ſenibus in quibus multùm debilitatur vis vaſorum oſcillatoria.

4°. demùm ex conſtrictione ſolitò fortiori & aſſiduâ glandularum contenta liquida magis urgeri, & affatìm exprimi neceſſe eſt, conſtrictio igitur validior & frequentior glandularum lacrymalium epiphoram accerſet; hæ verò glandulæ fortiùs ac frequentiùs conſtringentur ab influxu majori liquidi nervei quem pariunt refluxus ad cerebrum dolori feri; atque hinc eſt cur ex collyriorum acriorum abuſu, ex illapſis in oculum corporibus aſperis, ſalſis, rigidis, ex fumo &c. Epiphora quandoquè excitatur; idem præſtant irritationes quas patiuntur ii qui ulceribus corneæ aut conjunctivæ, aut ophtalmiâ laborant, vel quorum lacrymæ ſalſæ ſunt.

Etiamſi humor lacrymalis naturali quantitate ſecernatur, ſi tamen aliundè nequeat à punctis lacrymalibus excipi, & ad nares protrudi planum eſt fore ut ille cumuletur in oculis, indèque foras & involuntariè dilabatur, atqui id ità fiet multiplici vitio ... 1°. Punctorum lacrymalium nempè ſi illa inflammata impervia fiant, ſi obſtruantur ab humore

lacrymali viſcido, vel materiis purulentis, vel extraneis cùm ipſis permistis, ſi præternaturam conſtringantur... 2°. Vitio ſacci naſalis, vel ejuſdem Emiſſarii, nimirùm obſtructione, compreſſione, aut conſtrictione de quibus ſatis ſuperque dictum eſt in exponendâ ſuperiùs anchilopis, ægilopis, & fiſtulæ lacrymalis æthiologiâ, ergò omnes prædictorum morborum quatenùs arcent ab ingreſſu lacrymale fluidum, epiphoram inferre poſſunt.

Cauſæ antecedentes deſumendæ ſunt ex temperie ac ſtatu ſanguinis, & ex rebus non naturalibus malè uſurpatis.

SIMPTOMATA.

Epiphora ut plurimùm cæterorum affectuum ſymptoma eſt, non verò morbus per ſe; dùm complicatur iiſdem accidentibus ſtipari ſolet quibus ſtipatur morbus cui adjungitur, iis ergò exponendis ſuperſedemus, in ſimplici verò ſequentia oriuntur ſymptomata nempè.

1°. Lacrymalis humor, ut potè aqueus congeri nequit in oculis quin palpebræ utriuſque præſertim verò inferioris textum laxet; neque laxari textura palpebræ, quin debilitato vaſorum tono, ſanguis hæreat, & phlogoſim pariat, ergò epiphoram diuturniorem ſequitur aliquandò palpebrarum laxitas, & inflammatio.

2°. Pari ratione laxata caruncula lacrymalis rubore inflammatorio perfundetur.

3°. Ex defectu fluidi lacrymalis quo mucus narium diluitur, narium ſiccitas ad futura ut dictum de anchilope.

4°. Quoniam aqueus ille humor perpetim per genas diffluit, & cuti faciei adhærescit pelluciditatem aliquam genis conciliat, imò laxatis vasis sanguiferis, sanguinis circuitum retardat, & genarum ruborem inducit.

5°. Demùm sæpè fit ex nimiâ lacrymarum salsedine, ut irritentur oculi, pruriant, doleant, & inflammentur.

DIAGNOSIS.

Epiphoræ diagnosis evidens est, quandoquidem oculorum stillicidium visu patet.

Causæ pariter tacitè erui possunt attendendo ad ægrorum ætatem, ad sanguinis diathesim, ad oculorum, aut sacci nasalis vitia, & ad ea quæ præcesserunt.

PROGNOSIS.

Hic affectus ob continuum humoris fluxum quo madent oculi & genæ summam ægris affert molestiam.

Si recens sit, si à causis externis dumtaxat oriatur, si in juvenili ætate accidat, facilè tollitur, nequè aliquandò eget operâ medici; secùs verò si inveteratus sit, si fiat à depravatâ humorum crasi, & si senibus superveniat, in quo ultimo casu incurabilis censetur. Symptomaticæ epiphoræ eadem est prognosis à morborum quorum symptoma est, nempè phlictenarum, anchilopis, ægilopis, fistulæ lacrymalis, &c.

CURATIO.

Varia instítui debet therapeia pro varietate causarum.

1°. Dùm pendet à morbis prægressis, & symptomatica est eos morbos fugare convenit; quibus sublatis per se & sine ullâ ope lacrymatio evanescit, quàpropter si à sanguinis dissolutione, salsedine, & redundante serò producatur, expedit incrassentia præscribere, eaque omnia quæ serosas partes luxuriantes evacuare apta sunt, suppressæ evacuationes restituendæ, & removenda ea quæ exsolutioni humorum ansam præbent. Si oculorum palpeprarum ve inflammationi, aut ulceribus supervenerit, his incommodis occurrendum est auxiliis in sequentibus exponendis. Si anchilopi, cæterisque sacci nasalis vitiis natalis debeat, remedia in tribus præcedentibus articulis proposita competunt.

2°. Aërum si idiopathica sit epiphora & independenter ab ullo alio affectu invadat ut præsertim contingit ætate senili ob glandularum laxitatem, tunc medicamina usurpanda sunt ipsi propria quibus satisfiat sequentibus indicationibus.

Prima indicatio, considerandus status sanguinis, atque si à naturali descive-rit, convenientibus remediis, & laudabili diætâ restituendus, sin minùs eâdem operâ conservandus, quem in finem præter remedia vel demulcentia, & attemperantia, vel aperientia, & dividentia, utantur ægri cibis boni succi, & facilis coctionis, aërem vitent salsum, frigidum, pulverulentum; purum,

ferenum, ac temperatum ſeligant erroreſque in cæterarum rerum non naturalium. Uſu caute declinent.

Secunda indicatio ſerùm in ſanguine luxuriáns: expurgandum evacuantibus, nempè venæ ſectione, plus minuſvè repetitâ, niſi ætas provecta fuerit, diaphoreticis, diureticis, & catharticis convenientibus.

Tertia indicatio, humor refluens revellendus, & ad alias vias derivandus, tùm evacuantibus jàm enumeratis, tùm apophlegmatiſmis, hirudinibus pone aures applicatis, veſicatoriis, & cauteriis quorum ope ità ſuadente ratione, & docente experientiâ, fluxiones cæteroquin contumaces ſæpè perſanantur.

Quarta indicatio. Naturalis glandularum lacrymalium tonus redintegrandus, quod perficietur corroborantibus, exſiccantibus, & aſtringentibus tàm internis quàm externis. Interna ſunt opiatæ variæ, & pulveres abſorbentes; externa verò collyria cum aſtringentibus parata, nempè cum aquis roſarum, & plantaginis, vel fæniculi, cum thure, maſtiche, tutia præparata, aloë in pulverem redacta, ſarcocolla nutrita, aliiſque ſub finem ophtalmiæ adhiberi ſolitis de quibus infrà.

ARTICULUS VI.

De Encanthide.

IN utroque oculi majore cantho poſita eſt quædam excreſcentia carnea glanduloſæ fa-

bricæ,aliter caruncula dicta quæ ab antiquioribus medicis veluti lacrymarum inſerniculum diù multùmque habita carunculæ lacrymalis nomen accepit, quod etiam nùnc hodiè retinet, quamvis nuperis Anatomicorum obſervationibus compertum ſit carunculam hanc non lympidi, & verè lacrymalis humoris, ſed potiùs viſcidæ cujuſdam materiæ, lipitudini prorsùs ſimilis ſecretioni vacare.

Hæc caruncula duplici vitio vulgò afficitur, etenim vel incrementum ſuſcipit præternaturale, vel minuitur ejus moles, imò abſumitur.

Primum vitium de quo quæſtio eſt in hoc articulo *Encanthis*, alterum verò de quo in ſequenti articulo agetur *Rhyas* à græcis nominari conſuevit.

Eſt itàque encanthis aucta præternaturam carunculæ lacrymalis magnitudo.

DIFFERENTIÆ.

Differentiæ hujus morbi petuntur à ſymptomatis immodicam carunculæ accreſſionibus comitantibus, ſimul & à causâ eamdem accreſſionem producente, nempè prout caruncula increſcens rubra eſt, mollis, conſiſtentiæ carneæ,& à ſanguine collecto fit vel prout albicans aliquantis per dura, & à lymphâ cumulata dependet nunc inflammatoria, nunc ſchirroſa nuncupari debet.

Dividi etiam poteſt in idiopathicam, & ſymptomaticam, in recentem, & inveteratam.

CAUSÆ.

Ex dictis colligendum datur ſimplicem fore

causam encanthidis proximam, nempè sanguinem, aut lympham in carunculâ lacrymali hærentem, & in propriis vasis coacervatam quæ duo liquida modò suprà exposito in præcedentibus articulis, nunc tumorem durum, & indolentem, nunc verò phlegmodoneum inferre valent.

Eorum autem humorum hærentiam, & collectionem in vasorum obicem refundes, obicem verò in obstructionem, compressionem, vel constrictionem vasorum sanguiferorum, aut lymphæ ductum carunculæ lacrymalis, denique ea vitia deduces. 1°. Ex copioso sanguinis, & lymphæ ad carunculam affluxu, 2°. Ex eorumdem fluidorum impedito regressu, 3°. Ex irritationibus quæ vel in ipsâ carunculâ, vel in partibus vicinis fiunt, putà in conjunctivâ, punctis lacrymalibus, &c.

1°. Sanguis aut lympha irruet copiosiùs solito ad lacrymalem carunculam, si cogatur derivare ad vasa arteriosa ejusdem carunculæ, aut ad lymphatica, propter vicinarum partium impedimenta ut in ophtalmiâ, anchilope, ægilope, fistulâ lacrymali, palpebrarum inflammatione, panno, Pterygio &c. atque hinc est cur encanthis his affectibus persæpè succedat.

2°. Inhibebitur regressus sanguinis, aut lymphæ ad prædictam carunculam naturaliter affluentis, si comprimantur lymphaticæ venæ, aut sanguineæ, revehendis his humoribus destinatæ. Hanc compressionem parere potis est partium vicinarum in morbis jàm enumeratis intumescentiâ.

3°. Irritationes vel in carunculâ ipsâmet,

vel in partibus proximioribus factæ vaſorum Carunculæ conſtrictionem, & anguſtiam promovent, influxus liquidi nervei ſimpaticos uberiores ad carunculam advocando: hinc inflammata, vel exulcerata caruncula brevi magnitudinem præter ſolitam acquirit, hinc pariter ſupervenit enchanthis oculorum, ſacci naſalis inflammationi, & ulceribus.

Patet exindè encanthidem prædictorum morborum eſſe ut plurimùm ſimptoma, proindèque cauſas omnes quæ Pterygium, pannum, ophtalmiam anchilopem &c. remotè producunt, inter cauſas encanthidis remotas annumerari poſſe.

SIMPTOMATA.

Quoniam duplicem encanthidis ſpeciem admittimus, aliam quæ ad Phlegmones, aliam quæ ad Schirri naturam accedit, liquet ſtatìm diverſa fore utriuſque ſimptomata quæ utrique tumori propria ſunt, nempè vel calorem, ruborem, & dolorem, vel duritiem, & indolentiam quorum omnium explicationem de induſtriâ mittimus ne actum agere videamur.

Præterea nequit caruncula lacrymalis in nimiam molem increſcere quin vaſa vicina comprimat, præſertìm verò conjunctivæ, & punctorum lacrymalium, undè ſequitur ophtalmia, & punctorum lacrymalium obſtructio ac conſequenter Epiphora.

DIAGNOSIS.

Encanthis viſu dignoſcitur, an ſit ſchirro-

ſus, vel inflammatorius ex ſimptomatis apertum fiet, cæteras cauſas remotas & antecedentes ab ægris, vel aſtantibus expiſcaberis.

PROGNOSIS.

Hic morbus per ſe & ratione partis affectæ non eſt periculoſus, præſertim ſi recens ſit, ſed incommodus dumtaxàt ob ſenſum quemdam corporis extranei quem ægrotantes nictando percipiunt, vel ob excitatum oculorum ſtillicidium, intereà ſolet aliquandò in ulcus faceſcere, imò & lapſu temporis incuriosè tractatum carcinomatodem naturam inducit in quo caſu periculum protendit.

CURATIO.

Alia Therapeia interna eſſe debet, alia externa, utraque varianda pro variâ tumoris indole, nàmque ſi tumor calidus ſit & phlegmonodeus, præmiſſis venæ ſectionibus, diætâ tenui, & mitioribus purgantibus præſtat admovere Topica anodina in principio, mox reſolventia & aſtringentia; ſin è contrà tumor ſi ſchirroſus incidentia & aperientia interiùs, exteriùs verò reſolventia applicentur quæ lympham hærentem dividant, & attenuent, ejuſque indureſcentiam præcaveant; deniquè ſi cancrum minetur ea in uſum vocanda ſunt quæ cancroſis tumoribus ſanandis aut ſaltem ſedandis conveniunt.

Ad hæc laudantur præprimis in enchantidis curatione cateretica carnibus ſuccreſcentibus exedendis paria initio leviore, talia ſunt alumen uſtum & in Alkool redactum &

in carunculam insufflatum, æs viride, unguentum Apostolorum ægyptiacum, & similia, quibus frustrà applicatis exscindenda est caruncula, vel cauterio ut allis placet inurenda, eâ tamen adhibitâ cautione, ut non tota caruncula, sed pars illius dumtaxàt superflua exscindatur, aut caustico absumatur, aliòquin encanthis in Rhyadem degeneraret.

ARTICULUS VII.

De Rhyade.

RHyas sic dictus à voce græcâ ῥεῖν fluere, qnod involuntarium lacrymarum excitet fluxum, morbus est priori planè oppositus, nempè in hoc decrescit præternaturam, vel assumitur caruncula lacrymalis, adeòque definiendus carunculæ imminutio maximâ lacrymatione stipata.

DIFFERENTIÆ.

Hinc statìm Rhyas duplex statuitur pro vario morbi gradu, alius in quo minuitur dumtaxat moles carunculæ, alius in quo penitùs absumitur, prior imperfectus seu partialis, posterior verò perfectus, seu totalis vocari potest.

CAUSÆ.

Causæ proximæ diminutionis & consumpt-

tionis carunculæ solâ intensione differunt, proindèque quoad agendi modum eædem sunt nequè enim credendum est hanc imminutionem consistere in illius extenuatione, seu marcore, sed in exesione aliquali quæ ad certum gradum aucta absumptionem totalem inferet, ergo Rhyas qualiscumque sit à causis iisdem proximis exedentibus, & carunculæ substantiam destruentibus producitur.

Destruetur autem magis minusvè carunculæ substantia, vel interiùs à liquoribus contentis, vel exteriùs à corrodentibus fluidis, aut ab instrumentis abscindentibus. Triplex ergò causa immediata Rhyadis futura est, nempè liquores in propriis vasis carunculæ contenti, fluida carunculam exteriùs irrorantia, ipsivè applicata, & instrumenta scindentia.

1°. Liquores contenti in carunculæ vasis illius textum destruent si retenti collectique tunicas vasorum disrumpant, ac dilacerent, vel contractâ acredine, & corrodendi vi, exedendis iisdem tunicis pares evadant, priùs fit in encanthide & carunculæ inflammatione, posteriùs verò in ejusdem ulcere, hinc sæpè Rhyas secundarius morbus est, & encanthidi, ægilopi, ophtalmiæ neglectis succedaneus.

2°. Inter ea quibus absumitur exteriùs caruncula lacrymalis plurima recenseri possunt. 1°. Lacrymæ ipsæ acriores. 2°. Humor ille viscidus, & quasi sebaceus in caruncula secretus acrior factus. 3°. materiæ purulentæ & corrisivæ, vel ab adnatæ ulceribus, vel à pustulis variolosis profundioribus, vel ab ægi-

lope, aut fiſtulâ lacrymali ſuppeditatæ. 4°. Demùm corpora acria carunculæ applicata nempè Collyria nimis erodentia, præcipuè verò cauſtica.

3°. Tandem inſtrumenta ſcindentia idem præſtant reſecando, & amputando carunculam, ut contingit in Chirugicâ Pterygii, aut panni operatione, dùm ab imperito Chirurgo vel tota caruncula, vel ſaltem ejus pars magna reſcinditur.

Cœteræ cauſæ remotiores eædem ſunt ac morborum quorum æthiologia ſuperiùs expoſita eſt, vel inferiùs exponenda.

SIMPTOMATA.

1°. Abſumptâ lacrymali carunculâ quæ ſpatium inter utriuſque palpebræ commiſſuram interjectum occupat, vacuum quoddam relinquitur, quo foramen anguli magis pateſcit, & latior apparet.

2°. Conſumi nequit caruncula quin ſolvatur vaſorum continuitas, neque vaſorum continuitas ſolvi quin diſtractione fibrarum multiplici dolor exſurgat levis tamèn & pruriginoſus ob mollem minùſque ſenſibilem carunculæ texturam.

3°. In Rhyade, præpedito ſanguinis commeatu per carunculam ſanguis ad vicinas partes divertens, eas opplet, & ingurgitat, undè ſequitur adnatæ, palpebrarum, & ductuum lacrymalium Phlogoſis.

4°. Epiphora Rhyadis Comes repetenda eſt, vel ex inflammatione punctorum lacrymalium, vel ex eorumdem convulſivâ conſtrictione quibus lacrymalis humoris aditus ad

nares præcluditur, vel ex crispaturâ fibrarum glandulæ innominatæ, quâ expressus humor uberius quam par est à punctis lacrymalibus totus quantus est absorberi minimè potest.

5°. Ulceratâ quandoquè carunculâ fluentes lacrymæ purulentas partes secum adducunt, sicque non modò turbidæ fiunt, verùm etiam transeundo per genas pellem dilacerant, & rodunt.

6°. Denique Ichor ille purulentus tantàm interdùm acquirit vim urendi, ut ulcus evadat phagædenicum & cancrosum.

DIAGNOSIS.

Rhyas nudis oculis innotescit, an à morbo aliquo prægresso originem ducat, an verò primarius morbus sit, similiter an à causis internis aut externis excitatus fuerit ab ægro vel ab astantibus inquirendum.

PROGNOSIS.

Rhyas perfectus insanabilis est, hinc excisa operatione chirurgicâ caruncula restitui numquàm potest. Imperfectus verò si ei maturè occurratur, curam admittit, quatenùs vasa carunculæ extensa ad naturalem ipsisque propriam magnitudinem perducantur, cancrosus remediis exasperatur, & sola palliativâ curâ indiget.

CURATIO.

Curatoriæ indicationes hæ sunt prima ut

tollatur causa antecedens ac removeatur, secunda ut pars carunculæ absumpta restauretur, & denuò crescat, primam indicationem interna remedia, secundam topica implebunt.

Quoniam verò causa antecedens multiplex esse potest, sedulò perpendendum nùm sit inflammatio, aut ulcus carunculæ, aut vicinarum partium, & cui causæ ea vitia debeantur, quàpropter si crassitiem, aut viscidita-tem humorum antecedentem arguant, diluentia & aperientia præmittenda, anodina, lacticinia, aliaque id genus præscribenda sunt, quibus restituto sanguinis balzamo, semotisque vasorum impedimentis vasa ad coalitum aptiora fiant.

Quoad topica quæ alteri indicationi satisfaciunt ea debent esse sarcotica, & consolidantia quibus ad sananda ulcera utimur. Præ cæteris commendantur thus, aloes, sanguis draconis, rosæ rubræ, nuces cupressi in aquâ rosarum, aut vino austero coctæ ex quibus variè permixtis fiunt collyria, subindè in oculos guttatim instillanda, item ablutio partis affectæ ex solo vino tepido, aut ex aquis beliluranis facta, cæteraque medicamenta detergentia prosunt.

ARTICULUS VIII.

De Ophtalmiâ.

OCulorum inflammatio à græcis ophtalmia dicitur, strictè autem solet usurpari à Medicis pro conjunctivæ tunicæ, seu adnatæ inflammatione.

Hinc ſtatìm facilè eſt diſtinguere ophtalmiam ab inflammatione palbebrarum quæ niſi lædatur conjunctiva ophtalmiæ nomen non meretur, verùm hæ partes ut plurimùm ſimul vitiantur, quod quidem accidit, quia alteriùs partis inflammatio communicatur alteri.

DIFFERENTIÆ.

Pro variâ ſymptomatum vehementiâ diſtinguitur ophtalmiâ in tharaxim, ophtalmiam propriè dictam & chemoſim.

1°. Tharaxis levis eſt ophtalmia in quâ conjunctivæ tunica parùm rubet, ac dolet, latinis vocatur conturbatio, hæc plerumque in ophtalmiam degenerat veram, & ſpectatur tanquàm illius principium; hanc à cauſis externis dependere cenſent nonnulli, nempè à ſole, fumo, pulvere &c. ità referente riverio, aſt à cauſis quoque internis debiliter agentibus induci poſſe nihil repugnat.

2°. Ophtalmia propriè dicta tharaxi gravior, atque inflammatio intenſo rubore, calore, ac dolore ſtipata, in quâ craſſior lippitudo ſecernitur, quâ uterque oculorum limbus præſertim poſt ſomnum ſibi mutuò adhæreſcit, hæc vulgò à cauſis internis producitur.

3°. Denique chemoſis nomine intelligitur illa ophtalmiæ ſpecies quæ omnium graviſſima eſt, & in quâ inverſæ palpebræ ad coalitum venire nequeunt.

CAUSÆ.

Cauſa proxima & immediata ophtalmiæ ſicut & cæterorum eſt hæremia & collectio

ſanguinis fermenteſcentis, & vaſa ſanguifera præter modum diſtendentis in adnatæ tunicæ vaſis ipſiſmet ſanguiferis. Cauſam verò conjunctam ſtatuimus eſſe obicem qualemcumque in vaſis prædictis ſanguiferis cujus ratione ſanguis retrò appellens truditur in latera tunicarum vaſorum, colletuſque auget nimiopere pulſationes arteriarum imò & nonnunquàm fertur ad vaſa collateralia lymphatica.

Ex dictis ſequitur ſanguinis effuſionem numquàm poſſe producere tumorem inflammatorium, undè ab eorum ſententiâ diſcedimus qui inflammationis ſpeciem duplicem agnoſcunt, aliam ſitrophicam, aliam quæ ſiſtropica nominatur; primam ab extravaſatione ſanguinis, ſecundam verò à ſimplici ejuſdem ſtagnatione deducere amant, ſed malè, ſanguis enim extrà vaſa effuſus motu depoſito nigreſcit, rareſcentiæ incapax eſt, ſymptomatiſque inflammationis producendis minimè idoneus, ut probat partium ſigillatio, ſeù echimoſis, proindèque ſiſtrophicam inflammationem à phlogoſi ſimplici differre credimus quod in priori major ſit, in poſteriori verò levior inflammatio, ſin autem ſanguis aliquandò inflammatione effundatur, quod negari non poteſt, tunc ſanguinis effuſio non debet conſiderari tanquàm inflammationis cauſa ſed potiùs tanquàm illius effectus.

Hæret & congeritur ſanguis in vaſis conjunctivæ ſanguiferis propter obicem, ut jàm dictum eſt, quærendæ igitur iſtius cauſæ quæ tanquàm remotæ ophtalmiæ cauſæ cenſendæ ſunt.

Hæ autem ad tres potiſſimum ſicut in cæteris vaſis reduci poſſe videntur, nimirum

ad obſtructionem, compreſſionem, & conſtrictionem vaſorum ſanguiferorum quibus adnata tunica irrigua eſt.

1°. Obſtruentur vaſa ſanguifera adnatæ tunicæ à contento ſanguine, hic obſtructionem pariet vel copiâ nimiâ, vel intenſiori, & inæquali rarefactione, vel præternaturali ſuâ craſſitie ac viſciditate qua circuitu obeundo impar eſt, augebitur ſanguinis quantitas in conjunctivæ vaſis vel propter cauſam univerſalem ut in plethorâ vel causâ aliquâ peculiari, ſi nempè obſtruantur vaſa collateralia, cogaturque ſanguis ad conjunctivam copioſius irruere ut V. G. in capitis dolore, partium vicinarum inflammatione, eriſipelate faciei, in ozænâ, affectibus cerebri &c. idem quoque continget inflammato alterutro oculo, quoniam tunc major ſolito ſanguinis copia ad ſanum alium oculum determinabitur, denique violentæ muſculorum contractiones quibus vaſa ſanguinea comprimuntur, & ſanguis expellitur (præſertim verò dùm caput reclinatur, in quo ſitu anterioris liquidi columnæ pondus regreſſui obſtat) ut obſervare eſt in vomitu, nauſeâ, tuſſi, aliiſque vehementibus corporis motibus eumdem effectum præſtare poſſunt ut cuilibet attendenti manifeſtum eſt.

Impensè rarefit ſanguis in febribus, nihil mirùm itàque his ſuccedere inflammationem, præprimis ſi inæqualis ſit motus ille rareſcentiæ, & aliundè vaſa conjunctivæ malè diſpoſita ſint.

Tandem craſſitiem ſanguinis plurima inferunt ex ſexrebus non naturalibus deprompta, præcipuè verò & frequentius frigus ſuſcep-

tum incalescentibus oculis, ventus frigidior, acidorum collyriorum usus præposterus.

2°. Comprimuntur vasa conjunctivæ à partibus vicinis intumefactis, quales sunt vasa lymphatica per eamdem tunicam dispersa, glandulæ lippitudinis secretioni dicatæ, glandula lacrymalis &c. sic tumoribus adnatæ, sic palpebrarum tuberculis, sic fistulæ lacrymali, aliisque morbis ophtalmiam supervenire quotidiè experimur.

3°. Demùm constrictio vasorum adnatæ accepta referri debet in stamina tendinea quibus contexitur, hæc autem stamina stringentur fortiùs ab uberiori spirituum influxu quem promovent omnia quæcumque adnatam irritare possunt, talia sunt corpuscula ab igne præfervido emissa, fumus, aër pulverulentus, festucæ in oculum illapsæ, purulenta materies ab ulcere dimanans, pulveres acres in oculos insufflati ad curendas oculorum maculas, ipsa etiam lacrymarum acrimonia.

SIMPTOMATA.

1°. Positâ sanguinis hærentià in vasis conjunctivæ debet columna retrò appellentis liquidi ad latera vasorum vim inferre ob obicem insuperabilem, extendendæ ergò sunt vasorum obstructorum tunicæ, & ampliandæ, undè partis elevatio seù tumor qui major aut minor est pro majori vel minori obice, proindèque pro majori; aut minori sanguinis collectione.

2°. In majori cantho, ut vulgò dicitur majus est quale, sed sanguis in oculorum vasis majori copiâ congeritur in ophtalmiâ, imò

magis effervescit, ergò major futurus est in hoc morbo oculorum calor quam in statu naturali, prætereà solida magis oscillant.

3°. Partium rubedo à rubro sanguine eas alluente dependet, sed ea jàm dictis sanguis in conjunctivæ vasis hærens impedit progressum retrosequentis columnæ, ejusque collectionem promovet, ergò conjunctiva rubore perfundi debet. Adde insuper ex infarctu vasorum sanguiferorum vasa collateralia arterio-lymphatica exonerari, quæ vasa in statu naturali lymphaticum succum pellucidum continentia jàm genuino sanguine rutilante turgida non parùm augent partis affectæ rubedinem

4°. Tunicæ vasorum conjunctivæ extendi nequeunt ab hærente cumulatoque sanguine, quin fibrillæ tunicarum nerveæ multifariam distrahantur, nec ità distrahi quin repellantur spiritus ad cerebrum solitò vehementiùs, undè valida fit fibrarum cerebri succussio, & dolorifica sensatio excitatur pro vario autem distractionis modò nunc gravans, nunc verò pungens dolor futurus est, nunc puriginosus dumtaxat ut in incipiente, & levi ophtalmiâ.

5°. Dolorificum à conjunctivâ tunicâ refluxum sequitur influxus sympathicus in conjunctivam ipsam, partesque ipsi proximas, proindèque in glandulam innominatam, quo utraque tunica invalidiores constrictionis nisus coacta serùm lacrymale ubertìm exprimit, quodcumque nequeat totum excipi à punctis lacrymalibus erumpit; hanc lacrymarum effussionem non parum auget earumdem acrimonia. Acrimoniam hanc demonstrat luce meridianâ clariùs oculorum anguli & genarumerosio ità referente Riverio exercitatissimo,

6o. Inflammatâ conjunctivâ, obstructisque ejusdem vasis sanguiferis debet sanguis ad vasa viciniora copiosius quam anteà divertere, affluet ergò uberius ad palpebras, ad corneæ, iridis, vueæ, cristallini, & vitrei humoris vasa, similemque producet infarctum, hinc est quod plerumque ophtalmia prædictarum partium inflammatio succedat.

7°. Ab eâdem causâ deducendus est capitis dolor sivè internus sivè externus, & temporum pulsatio fortior.

8°. Non modò inflammantur, & intumescunt palpebræ, uti dictum est, ab irruente sanguine, verùm etiam liquorem hunc spissum qui lippitudo dicitur, copiosiorem secernunt in glandulis extremis palpebrarum limbis appositis, qui dein humor calore nimio exsiccatus crassescit, & lippitudinem constituit.

9°. Non possunt radii solares per corneam, humoresque inflammatos trajici, imò ad retinam fortassis pariter inflammatam impingere, quin has partes dolorificè succutiant, hinc dolorifica lucis sensatio quam sequitur ejusdem lucis horror.

10°. In ophtalmiâ gravi, quandoque ità inflammatur interna palpebrarum facies quæ conjunctivæ prospicit, ut auctâ illius mole palbebras inverti, & extrorsum complicari necesse sit, ergò gravi ophtalmiæ aliquandò supervenit palpebrarum inversio ut in chemosi.

11°. Deniquè palpebræ ità inverti nequeunt, quin removeantur à se invicem, & hiatum quemdam inter utramque palpebram relinquant, in gravissimâ ergò ophtalmiâ,

nempè in chemosi non poterunt oculi à palpebris contegi.

DIAGNOSIS.

Ophtalmia visu patet quando est facta, imminens verò ex pruritu quodam, & puncturæ sensu, & calore prænunciatur, variæ ejus species ex variâ symptomatum vehementiâ facilè eruuntur ut ex suprà dictis evidens est.

Ejusdem causas dignoscere difficiliùs est. Hæ tamen conjici poterunt ex antecedentibus, comitantibus, & subsequentibus, nimirum inquirendum an præcesserint vigiliæ assiduæ, liquorum ardentium potus immodicus, ciborum acriorum ingurgitatio, immoderata exercitia, capitis dolor, quodpiam animi pathema vehemens, ut ira. Perpendendum pariter an æger plethoricus sit, temperamento acri & bilioso præditus, an lacrymatio copiosa sit, examinanda quoque est lacrymarum & præsertim sanguinis constitutio, quibus omnibus maturè pensitatis signacausarum innotescunt clariùs.

PROGNOSIS.

Ophtalmia incommodus morbus est, præsertim si gravis sit, & in ultimo gradu ut est chemosis quia visionem impedit, si diù duret, abit in suppuratum, & ulcuscula in corneâ, & conjunctivâ producit, si verò levis sit facilè sedatur, & sine ullo periculo.

Alvi fluxus ophtalmiæ superveniens bonum ex *Hipocrate* aphor. 17. sect. 6a. idem dicendum

tendum si restituatur aliqua evacuatio priùs suppressa puta fluxus hæmorroidum, aut menstruorum, quia tollitur plethora, vel humores eo pacto minùs affluunt ad oculum, & ad inferiora determinantur.

CURATIO.

In ophtalmiæ curatione internis simul & externis remediis opus est, ut præcipuæ indicationes adimpleantur quæ in omni inflammatione eædem sunt.

1°. Nempè minuenda est sanguinis copia ne ille irruat ad oculum quod præstabis phlebotamiâ plus minusvè repetitâ; & diætâ, imò setaceis & cauteriis quibus aliò determinantur humores.

2°. Cacochilia primarum viarum quæ sæpè morbum producit aut saltem fovet everrenda purgantibus, quæ tamen levia esse debent, ne sanguinem accendant.

3°. Mitigandus est dolor narcoticis interiùs assumptis, imò & exteriùs applicatis, ex demulcentibus, & anodinis miscendo.

4°. Attendendum præprimis ad sanguinis constitutionem, seù diathesim, si crassa ac viscida sit incidentibus, & aperientibus corrigenda, si fervidior diluentibus & refrigerantibus compescenda, si tandem acrior demulcentibus, & incrassantibus attemperanda.

5°. Deniquè removendæ sunt causæ quæ ophtalmiæ locum dedere, vitentur alimenta pravi succi, motus corporis nimiùs, vigiliæ, loquela, ira, &c. indulgeant potiùs somno ægri, quiescant & in aëre puro, temperato, calido, & obscuro contineantur, atque hæc

ſunt interna & univerſalia remedia quæ omni inflammationi competunt.

Externa verò ſeu topica varia pro vario morbi tempore ſunt admovenda 1°. videlicèt ſæviente dolore anodina & demulcentia qualia ſunt albumen ovi cùm aquâ roſarum quaſſatum pulpa pomi cocti, vel putridi, lac recens, cataplaſma de mica panis mucilago ſeminum pſillii, aut cydoniorum & ſimilia. 2°. Sedato paululùm dolore reſolventia proficua ſunt, ut vinum calens, ſanguis columbinus; aquæ thermales quibus caput irrigari multùm prodeſt. 3°. Demùm declinante morbo repellentia ſeù aſtringentia qua vaſorum tonum corroborant adhibere convenit ut V. G. vitriolum album, ſal ſaturni, tutia in pulverem redacta, ex quibus cùm aquâ plantaginis aut fœniculi collyria conficiuntur utiliſſima.

ARTICULUS IX.

De *Phlictænis.*

Puſtulæ quædam ex anthematum puſtulis ſimilis in tunicâ corneâ & conjunctivâ nonnumquàm extuberant lymphatico & pellucido humore repletæ; grana milii, magnitudine adæquantes quæ græcis phlictænædictæ fuere à fervendo quod vel aquæ ferventis bullas, vel eas veſiculas quæ ex combuſtione in cuticulâ erumpunt, ſatis aptè referant.

Sunt itàque phlictænæ parvæ quædam veſiculæ granis milii mole æquales, aquâ plenæ

in adnatæ, & corneâ excitari solitæ.

DIFFERENTIÆ.

Phlictænarum nulla alia statui potest differentia præter illam quæ petitur à symptomatis quæ prout gravia, aut levia sunt, phlictænas magis minusvè periculosas constituunt, quidam eas distingunt ratione sedis quatenùs aliæ corneam, aliæ conjunctivam, afficiunt, imò ratione magnitudinis, nàm aliæ majores sunt, aliæ minores, aliæ superficiariæ &, aliæ profundiores.

CAUSÆ.

Quoniam diversa tumorum natura pendet ab humoribus à quibus induci solent, sequitur ad eruendas illorum causas, sedulò examinamdam esse humorum tumores producentium indolem, sed Phlictænæ ut jam innuimus vesiculosæ sunt, & plenæ humore quodam pellucido lymphæ humanæ haùd absimili. Hic ergò ille humor lymphaticus pro causâ hujusmodi vesicularum immediatâ habendus est.

Lympha autem duplici modò potest vesiculas efformare; vel dilatando simpliciter vasa ipsa lymphatica quibus coercetur; vel disruptis iis vasis subeundo partium interstitia, utrovis enim modò hærens vel effusa partem in tumorem vesiculosum attollet.

1°. Hærens lympha & prætermodùm collecta in propriâ vasorum cavitate, vel in granulis iis glandulosis quibus totam corneæ, & conjunctivæ faciem obsitam esse antopsia an-

tomica notum eſt, ſubrotundum tumorem pariet ob figuram quaſi ſphæricam, quam affectant prædicta vaſa, vel glandulæ dum contento ſuo liquore plus æquo turgent.

2°. Eadem lympha extrà vaſa effuſa, & in interſtitia partium inſinuat aveſiculas ſibi cudet, ſimili prorsùs ratione quâ admoto ferro candenti propè cuticulam hanc in veſiculas aſſurgere obſervamus, ruptis ſcilicet fibris tendineis quibus quaſi totidem vinculis cuticula ſubjectæ cuti annectitur.

Patet exindè ea omnia inter cauſas phlictænarum remotas eſſe annumeranda quæ poſſunt naturalem lymphæ commeatum per corneam aut conjunctivam præpedire lymphatica earum tunicarum vaſa obſtruendo, comprimendo, vel conſtringendo.

Obſtruentur vaſa lymphatica à concluſo liquido craſſiori, & tenaciori, proindèque ad circulandum minùs idoneo; contentum verò liquidum lymphaticum craſſitiem contrahet à cauſis vel internis, vel externis, internæ ſunt cruditates acidæ ſanguinem inſpiſſantes, ipſaque craſſior, ac viſcidior ſanguinis conſtitutio, præcipuè ſcorbutica, aut ſtrumoſa cui non infrequenter ſupervenire phlictænas docet experientia. Externæ verò cauſæ ſunt ventus frigidior, frigus præpoſterum, collyriorum abuſus quæ vel frigiditate ſimpliciter lymphæ motùm retardando, vel ſubtilioribus ſpiculis eamdem cogendo vaſa obturant.

Vaſorum lymphaticorum compreſſio adſcribenda vicinarum partium tumoribus, ut V. G. conjunctivæ inflamationi, vel tuberculis in oculorum confiniis enatis, aliiſque vel diuturniori muſculorum oculi motibus ſervien-

tium convulsioni denique venæ lymphaticæ constringentur multiplici de causâ. 1°. Externi acris frigiditate, aut caliditate quibus strictiùs adunata, addensata, vel nimiùm exsiccata conjuctivæ stamina crispantur, & excorrugantur. 2°. Adnatæ, corneæ, cæterarumque partium vicinarum inflammatione quâ tendinei villi arctantur. 3°. Earumdem partium exulceratione. 4°. Lacrymarum salsedine. 5°. Collyriorum acriorum usu.

SIMPTOMATA.

1°. Hæ vesiculæ ut plurimùm pellucidæ sunt à lymphâ contentæ quæ pellucida est, aliquandò tamen in ambitu subnigro, vel rubro colore donantur ob compressionem vasis sanguiferis illatam, qua sanguis hæret & pro variâ suâ naturâ rubedinem vel nigredinem parti tumenti conciliat.

2°. Phlictænæ si diuturniores sint indurantur, tùm quia lymphaticus latex in vesiculis retentus crassescit, dissipatis aqueis, volatilioribusque partibus, tùm quia vasa viciniora lymphatica crescente tumore sensim compressi ingurgitantur.

3°. Ophtalmia Phlictænis superveniens repeti debet à nimiâ collecti liquoris copiâ quâ fit ut sanguis ipse permeet vasa sanguifera conjunctivæ, atque hinc cætera simptomata ophtalmiæ de quibus articulo præcedenti diximus oriri necesse est.

4°. Inflammata conjunctivâ, vel phlogosi affectâ non modò sanguis uberius affluit ad collateralia vasa præsertim verò glandulæ innominatæ, unde humoris lacrymalis secretio

major, verùm etiam influxus ſimpathici fiunt frequentiores & copioſiores in villos prælaudatæ glandulæ tendineos quibus conſtrictis lacrymale fluidum majori quantitate exprimi debet, undè epiphora.

5°. Incipientibus Phlictænis dolor levis eſt, & pruriginoſus dumtaxat ob minorem cauſæ morbificæ energiam, minoremque vaſorum diſtenſionem à phlogoſi inductam.

6°. Si phlictænæ in pupillâ ſedem habeant, viſioni plurimùm officiunt, imprimis ſi ſint induratæ, quia tranſitum radiorum luciſtrans oculorum humores præpedient.

7°. nonnumquàm ità diſtenduntur veſicularum parietes, ut tandem tenuiores facti diſrumpantur conferente alioquin ſuum ſimbolum ſeri acredine qua veſicula paulatim eroditur. Imò ſi cornea tota infarciatur vel tanta ſit humoris corrodendi vis ut non modò ille vim ſuam inferat, in pelliculam quâ veſiculæ exteriùs obteguntur, ſed etiam in eam partem veſiculæ quæ fundum oculi reſpicit, hinc rupta vel eroſa tota cornea humor aqueus foras effundetur.

8o. Ruptionem aut eroſionem veſicularum ſequuntur ulcuſcula corneæ, vel adnatæ quæ nunc ſuperficiaria ſunt nunc profunda pro majori aut minori vaſorum infarctu, & pro diversâ puris indole.

9°. His ulculculis quandoque ſuccedunt carcinomata ob notabile puris & lymphæ vitium.

1°. Si conjunctiva vel ſubjecta ſclerotis, ſive cornea exulceretur liquet ſublatis earum membranarum ruptione aut eroſione tenuioribus lamellis fore neceſſariò ut prædictæ tu-

nicæ in parte erosâ aut ruptâ minùs firmæ, faciliùs cedant, & à conclusis oculorum humoribus magis extendantur, seu extrorsùm pellantur, quod fieri nequit, quin hac in parte oculi promineant.

DIAGNOSIS.

Phlictænæ simplici visu patent, pari ratione distinguntur facilè ulcuscula his succedere solita. Diagnosis verò causarum antecedentium difficiliùs attingi potest, & conjecturis tantùm ex cognitæ præcedentium, aut concomitantium historiâ.

PROGNOSIS.

Phlictænæ in genere periculosæ sunt quia delicatiorem oculorum texturam notabiliter labefactant, & visioni nocent, imò curatu admodùm difficiles quia remedia ipsis applicari difficilè possunt.

Varianda tamèn earum pustularum Prognosis pro varietate sedis, simptomatum quibus stipantur, & causæ eas inducentis.

1°. Ratione sedis magis minusvè sunt periculosæ, sic Phlictænas in conjunctivæ enatas faciliùs curari experientia docet iis quæ in corneâ producuntur, quibus curatis excitata cicatrice visus aboletur.

2°. Si gravis urgeat dolor, partiumque vicinarum inflammatio, imminens suppuratio pertinescenda, secùs verò pustulæ resolutionis via curari possunt, hinc quoque evidens est profundiores superficiariis esse graviores.

3o. Demùm si ab externâ causâ pendeant minùs habent periculi quàm si à causâ latente quæ non modo ulcera, verùm etiam carcinomata sæpè advocat.

CURATIO.

Medicamenta eadem quæ ophtalmiæ curandæ conveniunt, ut suprà dictum est, Phlictænis prosunt, si cum ophtalmiâ complicentur quæ quidem hic repetere inane prorsùs foret, & supervacaneum.

Sedatâ autem ophtalmiâ si adfuerit, vel initio morbi si nulla sit inflammatio ea usurpanda sunt topica quæ valent lympham congestam dividere atque resolvere, qualia sunt resolventia, statim leviora, ut aquæ variæ stillatitiæ verbenæ, rutæ; chælidonii, euphrasiæ, fæniculi &c., decoctum florum Chamæmeli, Meliloti, seminum Fænugræci, aquæ thermales, vinum rubrum tepidum, aqua distillata ex cancris fluviatilibus, aut ex bile variorum animalinm.

Quibus ità præmissis resolventia fortiora in usum vocentur, imò exsiccantia, & astringentia ad restituendum pristinum & naturalem tonum vasorum, inter quæ laudantur plurimùm tutia præparata, lapis calaminaris, vitriolum album, aliaque id genus quæ declinante ophtalmiâ præscribi solent.

Nec omittenda pariter hoc in casu sanguinem incidentia, & dividentia interiùs assumpta, præsertim si labes scrophulosa in causâ sit, in hunc finem commendantur varia Martis præparata, pulvis mille pedum, remedia mercurialia, aliaque sanguinem depurantia.

Si hiſce remediis incaſſum adhibitis puſtula magis ac magis increſcat, aut argenteâ, quâ perforanda eſt veſicula, promovendus eſt contenti humoris fluxus, quod tamen cum aliquâ cautelâ fieri debet, & in Phlictænis ſuperficiariis dumtaxat non autem in profundioribus.

De cætero cauſæ Phlictænarum antecedentes omni ſtudio removendæ ſunt, quod præſtabis jubendo ut ægri in cubiculo clauſo contineantur, aërem purum, ac temperatum ſpirent, & collyriis acrioribus abſtineant. Denique ſi diſrupta veſicula Phlictænæ abeant in ulcus, illud convenientibus remediis tractandum in ſequentibus exponendis.

ARTICULUS X.

De Albugine.

TUnicam ſclerotidem dictam involvero nervi optici à durâ Matre mutuato continuam natura in parte anticâ oculorum effecit pellucidam, ut impingentibus radiis luminis tranſitum concederet ad perficiendum naturale viſionis exercitium. In hac autem parte ob conſiſtentiam, & pelluciditatem cornu ſimilem, cornea ab Anatomicis vocatur.

Hæc viſioni adeò neceſſaria corneæ Diaphaneitas in affectu jàm deſcribendo pervertitur multifariam & excitantur maculæ quæ ut plurimùm albeſcunt, undè hic morbus leucoma ſeu albugo ſolet appellari, itàque albuginis nomine intelligimus quamcumque

corneæ maculam quæ opacitate suâ visionem vel ex toto præpedit, vel saltem notabiliter labefactat.

DIFFERENTIÆ.

Maculæ in corneâ enatæ triplici potissimùm ratione differunt pro situ, magnitudine, & crassitudine diversis.

1°. Ratione magnitudinis aliæ majores sunt & totam pupillam aut magnam ejus partem obtegunt, aliæ minores quæ exiguo dumtaxat spatio comprehenduntur.

2°. Ratione situs aliæ sunt superficiariæ quæ superficiem corneæ occupant, aliæ profundæ quæ altiùs latent, totamque corneam afficiunt, aliæ rursùs in medio pupillæ, aliæ ad corneæ latera locantur.

3°. Demùm ratione crassitudinis aliæ crassiores sunt, & opaciores quæ transitum lucis omninò præpediunt, aliæ verò tenuiores quæ aliqualem ejusdem lucis transitum permittunt.

CAUSÆ.

Quoniam Corneæ diapheneitas consistit in eâ dispositione vasorum, & humorum corneam constituentium, cujus ratione radii luminis per poros rectos trajici possint, & ad retinam usque pertingere cùm insuper rectitudo pororum corneæ duo necessariò supponat, tùm 1°. Debitam vasorum ejusdem extensionem à contentis humoribus, quâ diductis à se invicem fibrillis varii fiunt hiatus lucis radiis transmittendis idonei, tùm 2°. nativam contentorum fluidorum pelluciditas-

tem, ſequitur ſtatim ea omnia opacitatem corneæ advocatura, quæcumque poterunt vel concidentiam vaſorum ejuſdem tunicæ acceſſere, & poros deſtruere, vel naturalem fluidorum corneam irrigantium pelluciditatem pervertere, & ea fluida inſpiſſare.

1°. Deſtruentur pori vaſorum corneæ tunicæ, ſi hæc exſiccentur, excorrugentur & coaleſcant, ut contingit cicatricibus quæ ſuccedere ſolent corneæ ulcuſculis poſt Phlictænas, aut variolas prægreſſas, quo in caſu corneam denſiorem factam Diaphaneitate ſuâ orbandam eſſe evidens eſt, ulcuſcula ergô corneæ prægreſſa, & hæc omnia quibus hæc ulcera induci poſſe in ſequenti articulo dicturi ſumus pro cauſis albuginis remotis habenda ſunt.

2°. Humores corneæ incraſſeſcent vel in propriâ vaſorum cavitate, vel extrà vaſa. Prius fit à cauſis omnibus lympham coagulantibus, quibus ophtalmiam, Phlictænas &c. excitari diximus, præcedentibus articulis. Poſterius verò à puſtulis varioloſis in corneâ germinantibus quarum purulenta materies in cruſtam opacam indurata, corneæque tunicis interjecta, meatus illos rectos obturat lumini trajiciendo appoſitos, atque indè eſt cur albugo ophtalmiæ pertinaci, Phlictænis & variolis ſuppurantibus non rarò ſuperveniat. Tumores itàque varioloſi, & cauſæ quælibet ophtalmiam, & Phlictænas inducere ſolitæ, effuſum pus vel lympham, adhuc in vaſis contentam inſpiſſando corneæ opacitatem remotè inferent, talia ſunt diuturnior topicorum reſolventium uſus, quo tenuiores partes lymphæ diſcutiuntur, vel

præpoſterè adhibita repellentia, aſtringentia, vel refrigerentia.

SIMPTOMATA.

1°. Cùm maculæ à quâcumque causà fiant, ſupponant neceſſariò humorum hærentiam in corneæ vaſis, neque ità hærere poſſint humores quin turgeant vaſa inæqualiter. Sequitur ſtatim in omni albugine foreut ſuperficies externa corneæ, quæ naturaliter levis & polita exaſperetur.

2°. Albugo cæcitatem inferet ſi craſſa ſit corneæ macula, ejuſque amplitudinis quæ totam pupillam obtegat, & obnubilet, quia emiſſi ab objectis coloratis lucis radii ad retinam tranſmitti nullo modo poterunt; ad viſionis exercitium. Si verò aliqua tantùm corneæ pars afficiatur, trajectis radiis luminis per locum corneæ pellucidum, viſio ex hâc parte fiet.

3°. Lucidorum aut candidantium corporum fulgor aliquatenùs percipietur, etiamſi macula totam pupillam occupet, dummodò tenuior ſit, ſuperficiaria & uni tantùm lamellæ corneæ inſideat, atque tunc inſpicientibus quædam nebula apparebit quaſi per fumum & caliginem objecta cernerentur. Undè hic morbus aliquandò nebulæ nomen accipit. Secùs verò, ut dictum eſt, ſi ſumma ſit maculæ opacitas, viſio abolebitur.

4°. Si macula in medio Pupillæ ſita ſit, objecta perforata judicantur, quoniam hoc in caſu radii qui è medio corpore viſibili emittuntur per mediam Pupillam trajici nequeunt, cæteris per corneæ viciniores par-

tes illæſas liberè tranſeuntibus, non abſimili modo quo luminoſum aliquod corpus ut luna, ſi trans arborum ramos conſpiciatur, maculis nigris defœdata apparet ex præpeditâ per opacos eoſdem ramos radiorum emiſſione. Figura autem foraminis quod in objectis judicabitur maculæ figuræ proportione reſpondebit.

5°. Denique albicat ut plurimùm macula, præſertim ſi ſit ſuperficiaria, quia pendet à lymphâ quæ inſpiſſata albeſcit, interim aliquandò dum profundior eſt ad nigredinem vergit, communicato vueæ vitio.

DIAGNOSIS.

Albugo variæque ejus differentiæ ſimplici viſu innoteſcunt, cauſæ verò eam inducentes vel ab ægris, vel ab aſtantibus ſunt inquirendæ.

PROGNOSIS.

Cùm in hoc morbo viſio lædatur vitæ commodis utiliſſima cùm aliundè in cauſa ſit lympha indurata, quæ vix ac ne vix quidem reſolvi poteſt, ſequitur albuginem in genere morbum eſſe ſatis moleſtum, & curatu admodùm difficilem.

Diverſa tamèn inſtitui debet Prognoſis. 1°. Prout plus minuſvè pervertitur viſionis exercitium. Hoc eſt prout minuitur vel aboletur; ergò albugo in quâ tota Pupilla tegitur, & obvelatur gravior cenſenda eſt eâ, in quâ dimidia tantùm corneæ pars afficitur.

2°. Pro diversâ lymphæ craſſitie nùnc fa-

ciliùs, nùnc difficiliùs curatur, ſic magis reſiſtit remediis inveterata recenti, quia lympha majorem conſiſtentiæ gradum adepta eſt, & vaſa jamdiù diſtenta tonum ſuum priſtinum ægrè recuperant. Pari ratione curam difficiliùs admittit in infantibus quàm in adultis, atque in his quam in ſenibus, quia major eſt humorum fluxilitas, & vaſorum mollities, contrà verò in adultis, ac præſertìm in ſenibus humores craſſiores ſunt, & ſolida obrigeſcunt.

3°. Varianda quoque Prognoſis pro quantitate lymphæ induratæ ſic craſſiores ac latiores maculæ tenuioribus & minùs extenſis difficiliùs reſolvuntur.

CURATIO.

1°. In curandâ albugine principium eſſe debet à causâ antecedente quæ removenda eſt, ut remedia convenientia feliciter ſuccedant; itàque ſi albugo originem ducat ab ophtalmia, phlictænis, aut prægreſſis corneæ, aut conjunctivæ ulceribus, illicò his morbis ſuccurrendum præmiſſis univerſalibus quibus præpediatur nòvus humorum affluxus ad oculos, eorumque infarctus tollatur.

2°. Lympha concreta emollienda eſt topicis, atque adeò utendum eſt infuſione, aut decocto aliquo emolliente, nempè radicum Altheæ, Foliorum Malvæ, Biſmalvæ, Euphraſiæ, Chelidonii, Florum Meliloti, ſeminum Lini, & Fænugræci, ejus autem decocti Guttulæ aliquot tepidæ ſubindè inſtillentur in oculos, vel maculæ admoveatur Spongiola eodem decocto imbuta, vel deni-

que imbuto ejusdem vapore oculi suffumigentur.

3°. Post modum remedia lymphæ concretionem discutientia in usum vocanda sunt, ut saccharum candum, vel in pulverem redactum, & in oculos insufflatum, vel aquis ophtalmicis fœniculi, chelidonii, rutæ &c. dissolutum: succus Anagallidis, succus Fœniculi, ejus semen pulveratum, vinum emeticum, stercus lacertorum exsiccatum, vapor ex aquis thermalibus exhalans oculis patentibus exceptus, aliaque resolventia, quibus incassum adhibitis ad fortiora recurrendum qualia sunt fel bubulum, fel anseris, perdicis, Galli veteris, imò fella variorum Piscium, aliorumque animalium mucilagine gummitraga ganthi, Psillii, aut Cydoniorum inspissata, vel melli admixta, ut corneæ faciliùs adhærescant, item fuligo convenit quæ ex Papiro combusta aut combusto Linteo fit salivâ dilutis, & maculæ applicatis, item Olea Buxi, Guayaci &c. Ea tamen Topica cautè præscribenda sunt ne oculos irritando ophtalmiam accersant.

4°. Demùm non negligenda sunt interna Medicamina, præprimis si maculæ latens in sanguine, aut lymphâ vitium agnoscant; ea autem competunt quæ vel viscidos humores dividere, & attenuare apta sunt ut incidentia, & aperientia, vel sanguinis aut lymphæ salsedinem demulcere, ut incrassantia quæ quidem pro vario ægrorum temperamento, & morbi statu modo sola seorsim sunt usurpanda, modo alia aliis intermiscenda.

ARTICULUS XI.

De Ulceribus Corneæ & Conjunctivæ.

QUemadmodum in cœteris partibus, ità in corneâ & conjunctivâ ulcuſcula ſolent contingere quorum cauſas peculiares hic recenſere juvat, & ſummatim exponere.

Verùm ne à propoſito divagemur, quoniam natura ulcerum in genere Chirurgiam ſpectat, ſufficiat ſtatuere ulcuſcula quæ corneam & adnatam infeſtant reliquorum ulcerum inſtar in earum membranarum ſolutione conſiſtere cum puris effluxu.

DIFFERENTIÆ.

Hæc ulcuſcula proùt latitudine, profunditate & figurâ diſcrepant varia apud Authores nomina ſortiuntur. 1°. Si ulcus cavum ſit anguſtum ſimul & durum Bolthrion, ſeu foſſula dicitur. 2°. Koiloma vocatur, ſi latiùs ſit & minùs profundum. 3°. Argemon vel ulcus coronale ratione figuræ circularis, vel quia in circulo iridis ſitum habet. 4°. Epixanma, vel Ecghanma ſi cruſtoſum ſit aſperum, profundum, ſordidum & quaſi inuſtum.

CAUSÆ.

Cùm in omni ulcere purulenta materies dilabatur, cumque inſuper ad puris gene-

sim non sufficiat continui solutio & recens, sed certum desideretur temporis spatium ut sanguis, lympha, aliique humores in vasis ruptis contenti ab integrorum circumjacentium oscillationibus præternaturam adauctis favente effervescentiæ motu putrescant, & in pus convertantur, patet statim continui solutionem esse ut vulgò dicitur inveteratam in omni ulcere, ac proindè ulcuscula corneæ & adnatæ multò ante factam earum tunicarum solutionem agnoscere.

Rursùs quoniam suppuratio pendet potissimùm à sanguine in vasis ruptis putrescente quod ex dolore partis quæ suppurat manifestum fit, sequitur ad inducenda corneæ, & conjunctivæ ulcera requiri necessariò præviam harumcé tunicarum inflammationem; eamque systrophicam, seu vasorum sanguiferorum ruptione stipatam, à quâ proximè deduci debet puris generatio seu ulcus.

Hanc corneæ & adnatæ inflammationem plurima producere possunt, vel ad externas, vel ad internas causas revocanda. 1o. Causæ externæ sunt oculorum percussiones, ictus, collyria acriora, fumus, aër pulverulentus, corpora in oculos illapsa, aliaque superiùs in ophtalmiæ articulo enumerata. 2o. Internæ eædem sunt ac ophtalmiæ, phlictænarum, adeòque his recensendis supersedeo, hinc est quod ophtalmiæ & phlictænis corneæ, & conjunctivæ ulcera tàm sæpè superveniant.

Pari ratione causæ remotæ, & antecedentes eorum ulcerum ex notâ phlictænarum, & ophtalmiæ æthiologiâ facilè patent

SIMPTOMATA.

1°. Ex diversâ puris indole, & ulceris situ, varia hujusmodi ulcerum natura, altitudo & latitudo haùd ægrè repeti possunt.

2°. In omni parte exulceratâ solvitur continuum, fibræ partium nerveæ vehementer distrahuntur, quâ distractione dolor exurgit, ergò in hiiccè corneæ & adnatæ ulcusculis dolor adfuturus est.

3°. Lacrymatio provocatur, qúia ob dolorem & assiduam quam patiuntur exulceratæ partes irritationem, spiritus ad glandulas lacrymales uberius determinantur.

4°. Erosis, uti dictum est articulo de phlictænis, tenuioribus corneæ & conjunctivæ lamellis in loco ulcerato debilitatur earum tunicarum firmitas, undè pars hæc minùs resistens à conclusis humoribus oculorum extrorsum pulsa prominere debet.

5°. Si prominentia parva sit & capiti muscæ similis myocephalon, si multò major sit globosa, & pomi figuram referat, melon, si deniquè inveterata sit & in callum obduruerit clavus græcis *Elos* appellari consuevit.

6°. Tumor ille quandòque inæqualiter durus est venis circùmquaque tumentibus, varicosis, ac livescentibus asper, nec non dolore acuto, & lancinante stipatus, tunc autem oculi cancrum constituit, qui sicut in reliquis corporis partibus vel occultus est vel exulceratus, prior cancri nomen retinet, aliter tumor cancrosus dicitur qualis est modò descriptus: posterior ex quo sanies fætida dimanat & acerrima ulcus cacoethes seù cancrosum appellari consuevit.

DIAGNOSIS.

1°. Figura & magnitudo ulcerum corneæ, & adnatæ visu definiri facilè possunt. 2°. Simili modo in quânam ex his membranis ulcus sedem habeat, dignoscitur ex cognito corneæ, & conjunctivæ situ. 3°. Tumores varii corneæ, & conjunctivæ discernuntur facilè ex diversâ eorum magnitudine, figurâ, & consistentiâ. 4°. Demum oculi cancer ocultus vel apertus innotescet ex notâ eorum magnitudine, figurâ, & consistentiâ. Causæ antecedentes & remotæ vel ab ægris, vel ab astantibus perquirendæ sunt.

PROGNOSIS.

Corneæ & adnatæ in genere periculosa sunt; imò difficilè curantur, quia ob continuum oculorum motum topica remedia in parte exulceratâ cui admovenda sunt satis diù hærere nequeunt.

Quæ in corneâ fiunt, graviora censenda sunt ob majus cæcitatis periculum, quàm ea quæ in conjunctivâ excitantur.

Denique ulcera corneæ & conjunctivæ quæ fortiori ophtalmiæ, aut phlictænis diuturnioribus extrorsum suppuratis superveniunt mala, leviora quæ à causâ quâpiam externâ & manifestâ sobolescunt, omnium pessima quæ cancrosa sunt, & carcinomatodem naturam induerunt.

CURATIO.

Eadem corneæ & conjunctivæ exulceratis Therapeia competit, quæ cæteris quarumcum-

que partium ulceribus in quibus curandis externa & interna auxilia adhiberi ſolent.

1°. Itaque exteriùs topica admoveantur ulceri abſtergendo paria, mitiora tamen propter mollem ac delicatum oculi textum, qualia ſunt decoctum hordei cùm melle, ſaccharum candum, mucilago gummi tragaganthi, lac, vinum rubrum tepidum, aquæ thermales, &c. quibus in oculos inſtillatis ulcus frequenter de die eluendum eſt ac detergendum. His remediis, ſi ulcus notabile ſit, adjungantur balſami de capayvâ guttulæ aliquot. Dein verò in morbi progreſſu exſiccandum ulcus thure, cerusâ, aloë lotâ, tutiâ præparatâ, ſarcocollâ in aquâ roſarum nutritâ, aliiſque quæ cicatriſationem promovent ſub formâ pulverum aut collyriorum uſurpandis.

Si ulcus inflammationem adnatæ, aut partium vicinarum conjunctam habeat, anodina cùm detergentibus permiſcenda mitigandi doloris causâ.

2°. Quoniam externa medicamina inania prorſus forent niſi remediis interiùs aſſumptis temperetur ſanguinis & humorum acrimonia expedit interna præſcribere, quibus topicorum vis cætero quin inutilis non parum juvatur, hujuſmodi ſunt potiſſimum demulcentia inter quæ lac primatum obtinet, idcircò eo utatur æger in principio ſemel tantùm in die, & ebutyrato: ſi ulcus ſit pertinax ſolo lacte utatur, eâ adhibitâ cautelâ dùm lac ægrè concoquitur, ut primæ viæ identidem expurgentur blando aliquo cathartico, & ſtomachus opiâta convenienti ex abſorbentibus paratâ corroboretur ſerò antè decubitum, vel manè jejuno ventriculo deglutiendæ.

Verùm ubi ulcus corneæ & conjunctivæ carcinomatodes evasit, vix ac ne vix quidem cedit remediis, quin potiùs iis exasperatur, sola ergò palliativa convenit, nempè exteriùs tantùm topica anodina prosunt, interiùs verò demulcentia, & incrassantia, quibus diutiùs hoc in casu insistendum est, quæ tamen in ulcere cancroso oculos exedente persanando ferè numquam succedant, desperanda ægroti salus, nisi quamprimum oculus avellatur operatione chirurgicâ, quam ut ut operosam & crudelem institui tutò posse, & sine periculo docet fabricius hildanus obser. prima, centaur. prima.

ARTICULUS XII.

De Hypopyo.

JUxtà vocis æthimologiam hypopyi nomine intelligimus abscessum seù tumorem à puris collectione sub corneâ aut sclerotide oriundum.

DIFFERENTIÆ.

Hujus morbi differentiæ petendæ sunt vel ejus sede, vel ea tumoris symptomatis.

1°. Habitâ ratione sedis alius sub corneâ latet, alius sub sclerotide, in priori casu vel totam obvelat pupillam, & visionem supprimit, vel circumferentiam dumtaxat iridis afficiens resecti unguis, aut semicirculi figuram refert, atque tunc Græcè Onix latinè Unguis seù lunella vocatur, in quo casu vis-

ſio ut in ſtatu naturali perficitur, non ſecus ac in poſteriori videlicet quandò pus ſub ſclerotide reconditum latitat.

2°. Habitâ ratione ſymptomatum aliùs ſimplex alius complicatus prout tumor vel ſimplex eſt, vel cùm oculorum inflammatione conjunctus.

CAUSÆ.

Cum hypopyum ex allatâ ejus definitione puris præſentiam neceſſariò ſupponat, & tumor in eo excitatus à puris collectione proximè dependeat, ſequitur ſtatim eandem futuram eſſe cauſam hypopyi proximam & immediatam qualem articulo præcedenti ſtatuimus ulcerum corneæ & conjunctivæ; hoc interim diſcrimine quod in his ulceribus pus exteriùs diffluat in hypopyo è contra ab effluxu coercitum, ut dictum eſt, ſub cornea vel ſclerotide retineatur & coacervetur.

Rurſus ex traditâ eodem citato articulo prædictorum ulcerum æthiologiâ liquet puris geneſim præviam inflammationem ſyſtrophicam agnoſcere. Ergò ſimiliter ad hypopyum prægreſſa aliqua inflammatio, & vaſorum ſanguiferorum ruptio in corneæ partibus aut ſclerotidis proximis admittenda.

Hæc autem inflammatio triplici potiſſimum in loco fieri poſſe evidens eſt, vel nimirum in ipsâ corneâ aut ſclerotide, vel in uveâ, aut denique in conjunctivâ. 1°. In corneâ aut ſclerotide ſi hæ membranæ non ex toto ruptæ ſint, & pus in iis genitum, dilapſumque contineant, vel ſi iis licet diſruptis efluſum pus in earum inteſtitia ſerpat. 2°. In vueâ, ſi hæc inflammata in ſuppuratum abeat, quâ parte corneæ, aut ſclerotidi proſpicit, & materies purulenta

versus cùm locum effundatur. 3o. Demùm in conjunctivâ dùm ophtalmia nimirum gravis introrsum suppurata subjectæ sclerotidis inflammationem accersit quæ pariter in suppuratum vertitur.

Causæ remotæ colligi facilè poterunt ex iis quæ in præcedentibus oculorum affectibus superiùs dicta sunt præsertim verò ex ophtalmiæ theoriæ repetendis inter quæ potissimè sunt vulnera oculis inflicta, oculorum contusiones, & echimoses.

SIMPTOMATA.

1°. Pus colligi nequit sub corneâ aut sclerotide quin eas tunicas mole suâ & quantitate extrorsum elevet undè oculi tumor.

2°. Tumor ille albescit propter albicantem puris colorem.

3°. Si pus in iride pupillam circulariter circumcingente congeratur, & mediam ejus partem occupet, macula semi-circularis deprehendetur, & lunella excitabitur.

4°. Pus ità aggestum intrà oculi tunicas suscepto motu debet in partium vicinarum interstitia se conferre, hinc confricato oculo, locum mutare necesse est.

5°. Cum pus nequeat membranas oculorum elevare, & tumefacere quin eas distendat prætermodùm, nec ità distendere quin vasa sanguifera quibus contexuntur, multum premantur, & eâ ratione sanguis stagnet atque colligatur, sequitur fore ut in hypopyo præprimis inveterato, & in quo magna est puris copia, pars affecta rubeat, & lentetur phlogosi quæ dein ad conjunctivam, ad alias par-

tes vicinas ſerpens totam oculi molem, imò & quandoque palpebras infeſtat, undè gravis inflammatio hypopyo aliquando adjungi ſolet.

6°. Pus ſub corneâ collectum, ut ſuprà dictum eſt, vel pupillam opplet, vel iridem dumtaxat obtegit intactâ pupillâ ſi primùm viſionem abolendam præpedito lucis radiorum tranſitu, ſi ſecundùm iiſdem radiis liberè trajectis per corneam peræque ac in ſtatu naturali perficiendam fore evidens eſt. Hinc patet à fortiori ſolito more fieri viſionis exercitium, ſi pus à pupillâ magis removeatur, & ſub ſclerotide deliteſcat.

7°. Demùm quando abſceſſus minimus eſt, & pus aggeſtum laudabile, craſſum, inſulſum, & lymphaticum, integer perſtat oculus ſine ullâ aliâ labe, ex adverſo dùm idem pus dilutum, ſanioſum, acre, corroſinum, & mali moris eſt, aut magnâ copiâ generatur communicato cæteris partibus vitio, atque proindè creſcente in dies abſceſſu, interiora oculi inflammata rodantur, & oculus abſumitur, vel diſruptis tunicis oculorum humores foras diffluunt, & oculi concavi fiunt.

DIAGNOSIS.

Ex ſymptomatis jàm allatis hypopyi diagnoſis facilè obtineri poteſt nempè ex præſente, & molli oculi tumore, inflammatione præviâ & colore albicante, item & ex cauſis quæ hypopyo anſam dedere, V. G. exſugillatione prægreſſâ.

Hypopyum ſedem habere ſub corneâ ſimplici viſu dignoſcitur, tunc enim tumor eo loci

loci apparet, albicat, & compreſſâ oculo motione, pus contentum commovetur. Rursùs hanc hypopyi ſpeciem pupillam vel iridem occupare ſignificant tumoris ſitus, figura ſemi-circularis, & liberum, vel interceptum viſionis exercitium, at verò dùm ſub ſclerotide purulenta materies continetur, difficiliùs eſt morbum dignoſcere, attamen ex cauſis quæ præceſſerunt, & ex ſitu tumoris, atque mollitie ſatis aptè conjicitur; complicatum hypopyum dolore; & phlegmonodeo oculi rubore, ſimplex verò eorum ſignorum abſentiâ deſignatur.

PROGNOSIS.

Hypopyon in genere affectus eſt periculoſus, tùm quia ſæpè viſioni afficit, tùm maximè quia pus latitans cuniculos agens, totamque ſenſim abſumens oculorum ſubſtantiam eorum jacturam infert, undè varianda eſt prognoſis pro quantitate collecti puris, ejus ſitu, ac indole, & enim ſi abſceſſus in pupillâ poſitus ſit, ſi pus abundanter collectum, ſi malè coctum, ac ſanioſum evidens eſt majùs imminere periculum quàm ſi pus ſub ſclerotide, & paucâ quantitate collectum fuerit, nulliuſque corroſionis particeps; complicatum ſimplici, ob graviora quibus ſtipatur ſimptomata periculoſiorem, & curatu difficiliorem eſſe nemo non videt.

CURATIO.

Quoniam præ cæteris modis omnibus quibus tumores ſanari poſſunt, tutior eſt ille,

minùſque operoſùs qui reſolutiones viâ perficitur, ſequitur tentandam eſſe hypopyi ſeù puris collecti reſolutionem quàm non eſſe impoſſibilem ratio ſuadet, & plurima evincunt authorum obſervata, quibus magnam puris in variis partibus abſceſſu laborantibus congeſti copiam per urinas fuiſſe vacuatam conſtat. Sedatâ itaque inflammatione, ſi quæ ſit, remediis in ophtalmiæ curatione enumeratis, & præmiſſis univerſalibus, admovenda ſunt topica ex emollientibus & diſcutientibus parata. Cavendo ab aſtringentibus, repellentibus, & reſolventibus fortioribus quæ partes tenuiores diſſipando reliquum puris craſſius redderent, & reſolutioni obſtarent.

In hunc ſinem laudantur plurimum reſolventia mitiora ſæpiùs propoſita, interquæ præprimis numerantur myrrha, crocus, aloes cum melle aut lacte permixta ne irritando noceant. Fomenta ex decocto plantarum ophtalmicarum nempè euphraſiæ, fæniculi, chelidonii, florum chamæmeli, & meliloti, ſeminum fænugræci, vinum rubrum tepidum, aliaque quæ declinanti ophtalmiæ & albugini curandis idonea eſſe diximus.

Nequè prætermittenda ſunt reſolventia intérius aſſumpta qualia ſunt imprimis balzama varia de capahu, peruvianum, tolutanum, infuſio herbarum vulnerariarum, potus theæ, aliaque diuretica calida quæ tùm aperiendo vaſa obſtructa, pus reſolvere apta ſunt, tùm pellendo urinam puris evacuationem per renes promovere.

Verùm ſi hæc remedia non ſucceſſerint, pus chirurgicâ operatione educendum eſt, adapto inſtrumento acuto ſimili quoad ſtructuram

vulgari huic inſtrumento quo utuntur Chirurgi ad paracentheſim, cui gallicum nomen eſt Trocar, & mole ferè æquali aciculæ quam ocularii ad deprimendam cataractam uſurpare ſolent; illud inſtrumento genus hoc habet commodi quod ſtylo ſuo pungendo corneam aut ſclerotidem perforet, & eodem ſtylo detracto, liberâ & apertâ canulæ cavitate contentum pus evacuet, quod ſi, ut aliquandò contingit præ viſciditate nimiâ exire nequeat, ſuctione hauriendum.

In hac autem inſtituendâ operatione duplici cautione opus eſt, prima modum quò debet fieri punctura, altera verò pungendum locum ſpectat, circà primùm acus obliquè immittenda ne contenti oculorum humores per aperturam effundantur, ſecundùm quod atrinet ſi pus ſub corneâ lateat, pungenda ea corneæ pars, quæ ſclerotidi proxima eſt, non modò ut præcaucatura jactura aquei humoris qui alioquin diffluerent, ſed etiam ut occurratur viſionis labi quam excitata indè cicatrix induceret, ſin verò pus ſub ſclerotide contineatur, ipſa ſclerotis pungatur juxtà partem affectam, neque multùm ab ejuſmodi punctione pertimeſcendum, per ſe enim facile, & citò ſanatur, ut in ſuffuſionis, ſeù cataractæ operatione obſervare eſt.

ARTICULUS XIII.

De myopiâ.

MYopyæ nomine intelligimus illud oculorum vitium cujus ratione proximiora

objecta distinctè, remotiora verò, imò parum distantia obscurè percipiuntur, eò autem vitio affecti myopes nominari solent, quod objecta ut commodiùs discernere possint oculis propè admoveant, eaque semiclausis oculis intuantur.

DIFFERENTIÆ.

Variat hic morbus in variis individuis laborantibus myopyâ, prout diversa est in diversis subjectis oculorum structura; undè alii myopes objecta proximiora, alii minùs proxima clarè & distinctè percipiunt. Alia symptomatica, alia idiopathica, alia hæreditaria, alia congenita, alia adventitia.

CAUSÆ.

Cùm certùm sit ex opticæ legibus clarè & distinctè videri objecta quandò lucis radii debitâ quantitate pupillam ingressi multiplici trans oculorum tunicas & humores retractione tandem in retinam incurrentes ità convergunt ut singuli qui ab uno eodemque objecti visi puncto prodierunt in singula retinæ puncta unâ coeuntes transmittantur, planùm est fore confusam visionem duplici de causâ, vel si lucis radii nimii pupillam subeant, vel si iidem radii congregentur solito citiùs, & antequàm ad retinam perveniant, tunc enim ex coitionis puncto emergentes divaricantur, & non eamdem, uti par esset, sed varias retinæ partes feriunt, undè maxima oritur visus confusio.

Quæcumque igitur poterunt radiorum coa-

ſitum promovere & antè retinam, quæcumque pariter efficiunt ut radii uberiùs in pupillam immittantur, ea omnia pro cauſis myopiæ habenda ſunt.

1°. Mutuam radiorum coitionem accelerabit oculorum convexitas nimia, quâ magis convergere, ſeù congregari radias notum eſt, auctâ ſcilicet incidentiæ obliquitate, ut patet ex vitris uſtoriis quæ objecta corpora citius aut tardiùs comburunt prout magis aut minùs convexa ſunt.

Nimia autem fiet oculorum convexitas vel ex nativâ ejus conformatione, vel ex majori contentorum humorum copiâ, ut accidit iis quibus oculi extrorsùm prominent, vel ex ſolius humoris criſtallini convexitate præter ſolitum adauctâ quam ex majori humorum ad ipſius vaſa proventu repetenda eſſe evidens eſt, ſimul ex minori eorum vaſorum tenſione cujus ratione appellentibus fluidis faciliùs obſequuntur. Hanc criſtallini humoris turgeſcentiam fieri citra pelluciditatis jacturam ſupponendum eſt, alioquin ſuffuſio, ſeu cataracta excitaretur.

2°. Radii luminis ſolitâ majori quantitate per pupillam tranſgredientur, ſi hæc nimioperè dilatata, & aperta fuerit; hanc dilatationem quam Græci Mydriaſim vocant rursùs à duplici causâ oriri poſſe facilè intelligitur, nempè vel ex vitiatâ conformatione hæreditaria, aut ab ortu contractâ. Sic obſervamus quotidiè parentes eo conformationis vitio laborantes natos gignere quorum oculi lata & magis aperta pupilla conſpicici patent; vel talem labem à cauſis produci in ipſo matris ſinu, vel nimiâ aquei humoris

copiâ quâ circulus iridis diducitur imprimis si fibræ illæ radiosæ paralyticæ fiant, atque ità laxatæ appulsui liquorum cedant, vel denique ex nativâ contractione fibrarum radiosarum iridis, quæ pupillæ amplificandæ à naturâ dicantur. Hæ autem fibræ vehementer, & convulsivè constringentur simpathicè, vel idiopathicè. Priùs fit ob dolores vicinarum partium vel ipsiusmet vueæ tunicæ, vel propter cerebri vitium, ut in epileptico insultu, posteriùs verò si prædictæ fibræ nimio sanguine oppleantur, & suprà modum tendantur ut contingit in febribus, vigiliis diuturnioribus, exercitiis immodicis, post conatus vehementiores, ex retento spiritu &c. tunc enim sanguis ad caput proindèque ad oculos copiosiùs aductus fibras iridis contractiles quasi inflammat, & consequenter abreviat.

SIMPTOMATA.

1º. Myopes objecta remota imò parum distantia vel nullatenùs, vel confusè admodum percipiunt duplici de causa suprà assignata. 1º. Vel quia radii nimii pupillam ingressi retinam vehementiùs quam par est succutiunt, vel 2º. quia iidem radii ab eodem objecti visi puncto emissi minùs obliquè incidentes, minori refractione opus habent ut occurant invicem, proindèque coeant antequàm ad oculi fundum accedant, quam decussati deinceps ac confusi attingunt.

2º. Objecta è contrà oculis proxima distinctè cognoscunt, vel quia radii luminosi minori quantitate pupillam utcumque dilatatam subeunt, debitaque fit retinæ succus-

ſio, vel quia radii luminoſi ab objectis proximioribus emiſſi ob majorem incidentiæ obliquitatem majori influxu egent, tardiùſque coaleſcunt, undè fit ut poſt pulſas in oculorum tunicis, & humoribus conſuetas refractiones ſingula & diſtincta retinæ puncta impetant.

3°. Objecta remotiora in Myopiâ nequeunt majorem copiam radiorum emittere, vel decuſſati retinam attingere quin plura ejuſdem retinæ puncta moveant, quod fieri nequit, quin eædem objecti viſi partes ad plura loca referantur. Hinc illa objecta confusè quidem ſed majora & ampliora repræſentari neceſſe eſt, quam ſi pauci radii ab objectis emiſſi ad unicum dumtaxat retinæ punctum coeuntes tranſmitterent, quod præcipuè fit ſi objecta viſa lucida ſint, aut in luce magnâ & aperta conſpiciantur.

4°. Ratione oppoſitâ rectiùs in luce dubiâ ſeu in crepuſculo viſio perficietur, quia debiliori lumine retina debiliùs percellitur, atque hæc viſus depravatio Nictalopia ſolet appellari.

5°. Demùm, hinc liquet Myopes expertos ſemel ſe objecta remota quæ in certâ quâdam imò mediocri diſtantiâ locantur acutè & diſtinctè videri nequaquàm poſſe, & ſplendoris vim in luce quam maximè perſpicuâ ſenſum obruere, mechanicè impelli ad ea objecta oculis admovenda, atque eadem palpebris veluti conniventibus intueri, vitandi nimii luminis causâ.

DIAGNOSIS.

Myopia ex ægri relatu patet. Hanc imminere ſuſpicio eſt, ſi imminuatur in dies

objectorum remotiorum visio, similiter an à nimiâ oculi eonvexitate, vel à pùpillæ dilatatione pendeat haùd ægrè conjici potest, siquidem illæ causæ ipsis sensibus eruuntur.

PROGNOSIS.

Myopia periculo caret quandoquidem exercetur visio objectorum dùm modo ea admoveantur oculis, & in certâ distantiâ conspiciantur, curatu tamen difficilis est, præsertim si pupillæ dilatatio, vel oculorum convexitas sit effectus vitiatæ conformationis quæ vix ac ne vix quidem restitui potest teste experienriâ

CURATIO.

Diversa remedia usurpanda sunt pro varietate causarum, nàm 1º. Si oculorum convexitas præternaturalis, vel nimia pupillæ dilatatio ab humorum redundantia pendeat Plethoræ occurrendum diætâ venæ sectione, aliisque sanguinem & humores evacuantibus. 2º. Si fibrarum iridis convulsio pupillæ amplitudinem excitaverit, vel antispasmodica usurpanda sunt qualia in morbis convulsivis, & Epilepsiâ competunt, vel mitigandus anodinis & narcoticis dolor, cui debetur talis convulsio, & denique minuendus sanguinis ad oculos appulsus, ejusdemque æstus compescendus, quod præstabis Phlebotomiâ, refrigerantibus &c. 3º. Denique si morbus hæreditarius aut connatus fuerit, vel ex vitiosâ oculorum aut Cristallini humoris conformatione oriundus, neglectis reme-

diis internis quæ tunc inutilia forent, potiſſima Medicina eſt ſpecillorum concavorum uſus, quibus radii luminis ab objectis remotioribus emiſſi nimis divergentes, diſpergantur, undè etiam ſi magis refracti non citrà ut anteà, ſed in ipsâ ut opus eſt retinâ coaleſcentes objecta remotiora perſpicuè & diſtinctè repræſentabunt.

ARTICULUS XIV.

De viſu ſenili myopiæ contrario.

Inter plurima quæ ſenes circumveniunt incommoda debet recenſeri potiſſimùm viſus debilitas, quæ ipſis adeò familiaris eſt, ut vix ſenem unum reperire liceat, in quo non obſcuretur nativa oculorum acies, quin imò plurimos ætatis anno circiter quinquageſimo nedùm ſenes eâ viſus imbecillitate affici conſtanti experientiâ certum fit.

Conſiſtit autem affectus ille ſenilis in eo vitio oculorum myopiæ planè oppoſita ratione cujus diſtincta fit objectorum remotiorum, confuſa verò proximiorum viſio.

DIFFERENTIÆ.

Eædem ſunt differentiæ affectus ſenilis ac myopiæ de quâ præcedenti articulo dictum eſt, nimirùm in hoc morbo objecta remotiora, modò minùs remota diſtinctè percipiuntur pro vario in variis individuis oculorum conformationis vitio.

CAUSÆ.

Cum visus senilis myopiæ omninò oppugnatur hunc à causis planè contrariis produci evidens est, nempè vel ex eo quod pauci luminis radii pupillam penetrent, vel ex eo quod sic ex solitæ copiæ transgrediantur oculorum humores, tardiùs tamen coeant, & dispersi necdùm uniti dum retinam attingunt, varias ejusdem fibrillas succutiant.

Quælibet ergò radiorum luminis coalescentiam retardabunt, vel sufficientem eorumdem ingressum per pupillam præpedient, ea omnia affectum senilem remotè inducere poterunt.

1°. coalescentiam radiorum retardabit complanata oculorum convexitas quâ radii minùs convergunt, tardiùsque proindè uniuntur ut docent vitra concava quæ radiis disgregandis inserviunt. Hæc autem oculorum concavitas major, vel ex nativâ eorum conformatione deducenda est, vel ex minori humorum copiâ quâ oculi concidunt & arescunt, ut senibus contingit, vel deniquè ex solus humoris cristallini concavitate præternaturali.

2°. Pauci radii pupillam ingredientur, si hæc contrista sit, & nimiopere angustata, hujusmodi angustiam inferent plurima. 1°. Hæreditarium vel congenitum quodpiam vitium. 2°. Minor aquei humoris collectio quâ minùs diductæ fibræ iridis circulares fortiùs stringuntur. 3°. Fibrarum iridis radiosarum resolutio, seu paralysis cujus ratione contranitentes ejusdem iridis fibræ circulares in contractionem venientes arctant pupillam, ejusque foramen minuunt.

SIMPTOMATA.

10. Objecta proximiora confusè percipiuntur vel 1°. quia lucis radii magis divergentes, & ob minorem oculi convexitatem debiliùs refracti non ſat citò concurrent, adeòque ab invicem ſejuncti retinæ fibras movebunt, undè ità diſperſi, & majùs ſpatium occupantes, majorem objecti viſi imaginem imprimens, atque tunc objecta oculis proximè admota juxtà grandiora apparebunt, vel 2°. Quia pauciores emittuntur radii, iique dumtaxat qui rectatendunt ab objectis ad oculos, undè eorum quantitas repreſentandis ut decet objectis non ſufficiet.

2°. Objecta verò magis diſſita, meliùs ac diſtinctiùs apprehendi neceſſe eſt, tum ob tardiorem radiorum luminoſorum, ut ſolita quantitate emiſſorum coaleſcentiam, quia tunc radii magis paralleli, & minùs divergentes eo modo refractione convergunt ut in ipſâ retinæ ſuperficie coeant, & uniti retinam percellant, tum ob majorem eorumdem radiorum quantitatem quæ emitti debet ubi objecta removentur, quia radiis rectis laterales plurimi adjunguntur.

3°. Confuſa erit objectorum proximorum viſio, imprimis ſi nigra ſint, aut parum illuminata quia radii pauciores vibrantur, qui retinam debiliùs quatiunt, atque hinc eſt quod ſenex, & affectu ſenili laborantes in dubiâ luce ſerè cæcutiant.

4°. E contrario in luce magna potiſſimùm ſplendente ſole acutiùs cernunt, quia majori umine viſus organum vehementiùs percutitur.

5°. Demùm ea propter tali oculorum vitio affecti cum sæpè experti fuerint se objecta remotiora proximioribus meliùs, faciliùsque distinguere ea ut videant quodam veluti instinctu ab oculis removere solent.

DIAGNOSIS.

Visus senilis sicut & myopia iteratâ ægri experientiâ innotescit à quâ autem pendeat an ab oculorum planitie, seu convexitate minori an verò à pupillæ angustiâ, dignoscitur facilè oculorum ac pupillæ examine.

PROGNOSIS.

Hic morbus nihil affert periculi, imò neque visionis exercitium tollit, modò objecta removeantur, verùm omni therapeia major est si inveteratum fuerit oculorum vitium, aut à vitiatâ pendeat conformatione, sin minùs recens sit, & causam aliquam externam agnoscat, curam admittere potest.

CURATIO.

In curando senili affectu perpendendum an oculorum vitium hæreditarium sit, vel congenitum, vel ab ætate pendeat, in hoc enim triplici casu remediis parcendum, quorum usus diuturnior visioni plurimùm officeret, imò nullo remedii genere opus est, quippè tale oculorum vitium non modò corrigi nequaquam potest, verùm etiam topicis quandòque exasperatur.

Sin autem vitium adventitium fuerit ten-

canda curatio, & varianda prout illius causæ diversæ sunt.

1°. Si à convulsione fibrarum iridis circularium ortum ducat præscribenda sunt antiepileptica, aliaque medicamenta quæ convulsionibus sanandis proficua sunt.

2°. Si à radiosarum fibrarum iridis paralysi fiat, cephalica in usum vocentur, & cætera auxilia quæ paralysi conveniunt, inter quæ potissimum laudantur aquæ thermales tùm interiùs epotæ per triduum, tùm exteriùs usurpatæ caput nimirum, & præsertim oculos irrigando.

3°. Deniquè si ab imminutâ naturali oculorum convexitate sive illa sit in totâ oculi mole, sine in solo cristalino corpore, utendum specills convexis quorum ope nimis divergentis lucis radii à proximioribus objectis emissi congregantur, itàut citior quàm anteà, & in ipsâ proindè retinâ eorum concursus peragatur.

ARTICULUS IX.

De *Phlictænis.*

CUm apud omnes in confesso sit suffusionem, seu cataractam ab opaco aliquo corpore ultrà corneam locato pupillæ obverso radiorum luminis transitum inhibente, sequitur eam satis aptè definiri posse oculorum vitium ortum à concretione quâpiam ultrà pupillam genitâ naturale visionis exercitium labefactatur, vel omninò intercipitur, undè

Gallis mos eſt corpus ipſum concretum, & opacitate ſuâ viam radiorum occludens cataractam vocitare.

DIFFERENTIÆ.

Hujus morbi differentiæ repetendæ ſunt vel à vario concretionis incremento & magnitudine, vel ex diversâ concreti humoris naturâ.

1°. Pro diverſo concretionis augmento nunc recens, nunc matureſcens, nunc matura, nunc inveterata dici poteſt.

Recens ſeu incipiens, illa eſt in quâ obnubitatur dumtaxat aliqua pupillæ pars & minima eſt concretio, atque in hâc cataractâ ſpecie feſtucæ, pili, aut varia filamenta lanæ carptæ haud abſimilia nutantibus oculis percipiuntur. Hanc Authores plurimi ſuffuſionem ſtrictè ſumptam vocare ſolent.

Matureſcens ſub cærulei coloris eſt, & à concretione paulò majori dependet quæ tamen lucis aditum ſatis facilem permittit hanc nonnulli aquam nominant, ob cæruleum colorem aquæ colori conſimilem.

Matura illa dicitur dum concretio adhuc major eſt albicans, & viſionis ſenſus ferè præcluditur.

Inveterata tandem quandò macula ſivè alba, vel nigra, ſive flava, perfectò opaca eſt, & ità indurata ut viſionem omninò præpediat. hanc veteres propriè cataractam nuncuparunt.

2°. Pro variâ concreti humoris naturâ alia glaucoma dicitur, alia cataractæ ſeu ſuffuſionis nomen retinet, glaucoma ab indurato criſtallino humore, ſuffuſio verò Græcis Ypo-

chima à pelliculâ quâdam corneæ & cristallino humori interpositâ ortum habet.

Silentio prætermittendum allatam ab Antiquis [vide Riverium pag. 188. de suffusione qui citat Galenum cataractæ divisionem in veram & spuriam, quandoquidem spuria quam à vaporibus fieri, & in delirio phrenetico, in morituris, & in iis qui hæmoragiam passi sunt aliquando contingere asserebant nullam in oculis concretionem agnoscit, proindèque cataractæ nomen non meretur.

CAUSÆ.

Quamvis recentiores quidam negaverint cataractam esse pelliculam seu membranulam citrà humorem cristallinum genitam eamque à cristallini opacitate semper fieri contendant quod in pluribus cadaveribus quorum oculi cataractâ laborant cristallinum corpus indurefactum constanter se invenisse asserent, nihilominùs eorum sententiæ assentiri non possumus aliorum Neotericorum, ac fide dignissimorum observationibus suffulti qui pelliculam se pluries detexisse intacto humore cristallino testantur, utramque itaquè sententiam amplexari æquum est, atque adeò cataractam nunc pelliculam esse, licèt rariùs statuimus, nunc verò & quidem frequentiùs in cristallini humoris duritie, & opacitate consistere, causæ igitur utriùsque cataractæ seorsim investigandæ sunt &c.

1°. Quidem dum cataracta pellicula est inter cristallinum corpus & pupillam posita, hæc duplici modo generari posse concipitur, vel si exterior cristallini lamina quæ pupillam respicit exsivetur, densetur, & à cæteris ejus-

dem criſtallini lameliis diſjungatur ut fieri ſolet in exfoliatis oſſibus quorum externæ laminæ à ſubjectis inferioribus ſeparantur, vel ſi lympha excedans ab extremâ criſtalini ſuperficie ibi concreſcat, & quamdam veluti pelliculam continuam efformet.

Extrema criſtallini lamina denſabitur & ſiccesſet, ſi vaſa ex quibus conſtat humorem contineant ſpiſſum, viſcidum, & induratum. nullumque inter hunc & vicinos humores circulatianis commercium intercedat, hæc vaſorum & humorum denſitas & areſcentia ab externis vel internis cauſis oriri poteſt. Internæ ſunt viſcida ſanguinis conſtitutio qualis eſt in ſtrumoſis ſolidorum anguſtia, vel laxitas dativa, vel adventitia, ſic experimur quotidiè eos quorum oculi multùm prominent cæteris frequentiùs ſuffuſione affici. Externæ verò topicorum reſolventium abuſus, inſolutio diuturna, ſtudium immodicum, & lectio aſſidua præſertim nocturno tempore, aeris externi caliditas, aut frigiditas nimia prægreſſi oculorum morbi, puta hypopium, pertinax ophtalmia &c.

Lympha verò à criſtallino corpore exudabit, ſi in hoc hæreat & congeratur, imò hærens & congeſta poterit vaſcula quædam rumpere, & inter pupillam, & extimam criſtallini humoris faciem effundi. Hærebit autem & cumulabitur multiplici de cauſâ. 1°. Vitio ipſius lymphæ ſi craſſa ſit & ſpiſſa ob vicinam ſanguinis diatheſim. 2°. Vitio vaſorum criſtallini corporis, ſi hæc debiliora, laxiora, aut anguſtiora ſint. 3°. vitio ab externis cauſis jàm enumeratis illato.

2°. Si cataracta conſiſtat in ipsâ criſtallini

opacitate, quoniam illa opacitas ſupponit neceſſariò humores inſpiſſatos, quorum partes craſſiores ſtrictiùs unitæ lucis radiorum tranſitum inhibent, ſequitur quæcumque poterunt lympham per criſtallinum corpus circulantem inſpiſſare, ea omnia cataractam remotè inductura.

Lympha criſtallina inſpiſſabitur ſi præpedito ipſius per propria vaſa circuitu hæreat, vel effundatur. Tunc enim defectu motus, & partium acceſſu, vel ejuſdem effuſionem promovebunt, præter ea quæ ſuprà recenſuimus ad pelliculæ geneſim inflicta corpori criſtallino vulnera, ictus contuſiones &c.

SIMPTOMATA.

Quæ cataractam comitantur ſimptomata eadem ſunt ſivè pellicula ſit, ſivè criſtallini opacitas &.

1°. Quidem incipiente cataracta, quoniam concretiones minimæ ſunt, & inſenſibiles, nulla ab inſpicientibus conſpicitur pupillæ macula.

2°. Interim tamen quoniam ab iis concretionibus ut ut minimis lucis tranſitus impeditur per certa pupillæ loca, ita ut radii ſolares hic criſtallinum humorem penetrent, illic verò repellantur ſequitur fore ut ægri dum objecta perſpicient, ea non videant integra; ſed feneſtris pertuſa nunc punctis nigricantibus conſpicua quæ pro variâ magnitudine, & figurâ pulices, muſcas, philamenta telæ aranearum aut lanæ carptæ ſimilia repreſentabunt, vel per aerem diſperſa, vel objectis viſis inhærentia.

3°. Oculis dextrâ, lævâque commotis mutabitur oculorum situs, sed mutato oculorum situ, concretiones in iis factæ locum pariter mutaturæ sunt, variisque proindè lucis respondebunt, quod fieri non potest, quin muscæ, pulices, pili & alia corpora repræsentata ad diversa quoque circumstantium objectorum puncta successivè referantur, hæc ergò corpuscula motis oculis vel in aere volitantia, vel conspecto albo pariete nunc huic, nunc illi parietis parti infixa videbuntur.

4°. Falsa Marmarigum repræsentatio quam experiuntur ii qui cataractâ afficiuntur dùm lucidum aliquod corpus conspiciunt, deducenda est ex eo quod præter radios per loca oculorum à concretione libera trajectos quibus lucidum corpus repræsentatur plures alii radii luminosi in planas, ac laterales oculorum facies multipliciter impacti, & indè ad retinam reflexi eam feriant, quo fit ut mens lucida corpora plurima in locis in quibus non sunt falsò percipiat, undè marmariges seu oculorum coruscationes.

5°. Motis oculis marmariges moveri videbuntur quoniam mutato oculorum concretionum situ, fiet ut radii qui anteà ad certa retinæ loca reflectebantur speculorum instar jàm nulli reflectantur, undè apparebunt tenebræ in iisdem locis in quibus marmariges priùs observabantur, & vice versâ quod sufficit ad excitandam falsam hanc marmarygum apparentiam.

6°. Multiplicatis in dies punctulis his radios visuales repellentibus continua fiet lineæ instar concretio, undè si supponatur interjectas partes illibatas esse, & nativam

pelluciditatem retinere visa objecta variis definita cancellis fenestrarum instar repræsentari necesse est pro diversis concretionum terminis.

7°. Crescente adhuc magis oculorum concretione paucioris lucis radii pupillam subire debent, undè offuscata, & confusa videbuntur objecta quasi trans fumum, nebulam, aut aranearum telam perciperentur.

8°. Inveterato malo perfecta fit & totalis opacitas, & pupilla obvelatur, tunc enim præpedito omnino radiorum transitu cæcitas inducitur.

9°. Denique varii cataractæ colores à diversâ concretionis consistentiâ, & humoris concretionem inducentis naturâ repeti possunt, hinc macula in maturescente suffusione sub cærulea, in maturâ albicans, in inveteratâ alba, vel nigra, vel flava deprehenditur.

DIAGNOSIS.

Diversi cataractæ gradus sequentibus signis innotescunt 1. Incipientem cataractam seu suffusionem distinguit philamentorum aut punctorum nigricantium apparentia, præsertim commotis oculis. 2°. Maturescentem designant aucta philamentorum quæ oculis observantur moles, & subcæruleus pupillæ color. 3°. Matura ex albicante concretionis colore, & præcluso fermè visionis sensu dignoscitur. 4°. Demùm inveterata seu confirmata cataracta patet ex ejus colore albo, nigro, aut flavescente & visionis abolitione quæ perfectam concretionis pelliculæ opacitatem demonstrat.

Hanc à leucomate pupillæ foramen occupante quo cum confundi poteſt facilè diſcernes. 1o. Si exterius & ſuſpensâ manu morbidus oculus confricetur, moxque dein ſubitò aperiatur, tunc enim excitato in pupillâ alterno conſtrictionis & dilatationis motu diverſa apparet cataractæ moles pro diverſo pupillæ ſtatu, major nimirùm & amplior, dilatatâ pupillâ, minor verò eâdem anguſtatâ ſecùs autem in leucomate ſeu albugine immutatam conſtanter obſervare eſt maculæ amplitudinem. 2°. In albugine ſita eſt macula in corneâ, at verò in cataractâ profundiùs latet, & ultrà pupillam quod ipſiſſimis intuentium oculis pateſcit. 3°. Tandem ex iis quæ vel albuginem, vel ſuffuſionem præceſſerunt utriuſque affectus diagnoſis facilè obtineri poterit.

Cauſam ſuffuſionis proximam quod ſpectat dignoſcere arduum omninò eſt, ne dicam impoſſibile nempè aſſequi nullo modo licet an pupillæ obnubilatio à pelliculâ ibidem genitâ procedat, an à criſtallini corporis denſitate ſufficiat hâc in re alterutrum ex his vitium conjicere, & cæteras cauſas ex antecedentibus, & concomitantibus expiſcari.

PROGNOSIS.

Cataracta, à quâcumque causâ pendeat, gravis eſt morbus, ac multùm moleſtus ob viſus læſionem quæ tandem in cæcitatem deſinit.

Varianda Prognoſis pro vario cataractæ tempore, ſeu gradu, pro ægrorum ætate, ac temperamento, & oculorum ſtatu.

1°. Enim si recens sit & incipiens remediis interius assumptis præcaveri potest internâ therapeiâ; si verò ad maturitatem, ut vulgò aiunt, pervenerit, operatione indiget, neque medicamentis internis cedit. Deniquè ubi inveteravit insanabilis censenda est, & omnem tùm medicorum; tùm chirurgicorum operam eludit.

2°. Quoniam vasa in senibus amissâ vi elasticâ difficiliùs restituuntur quam in juvenibus, sequitur cataractam senili ætate supervenientem difficiliùs curari posse quam inflorenti, & juvenili ætate, in quâ oculi vegetiores meliùs & acutiùs vident.

3°. Plurimùm confert morborum curæ nativa ægrorum temperies, ergò si vitiosa sit in cataractâ laborantibus, & à viru scorbutico, aut strumoso foveatur, minor adfutura curationis spes, quam si æger benè constitutus sit, & nullo sanguinis vitio inquinatus.

5°. Idem dicendum, paucis mutatis, pro vario statu oculorum, nàm malum periculosius est, & minus sanabile, si jàm vitiati sint oculi, si malè sani, si debiles extiterint, aut naturaliter emineant, quàm si integri sint & sani.

CURATIO.

In Curandâ cataractâ advertenda sunt ejus stadia etenim.

1°. Si sit incipiens internis medicamentis oppugnanda est, quibus inspissata lympha diluatur, & fluidior fiat. Sicque obices in vasis lymphaticis geniti reserentur. Hanc præstant operam aperientia, & sanguinem dividentia.

Juſculis igitur aperientibus & refrigerantibus initio opus eſt, dein pulveribus, aut opiatis chalibeatis ſimul & purgantibus, quæ auxilia ſi tempeſtivè uſurpentur & ſæpè repetantur incipientes oculorum concretiones diſſolvere poterunt. Non negligantur interim topica quæ quidem licet parum proſint, quandoque tamen feliciter ſucceſſiſſe fidem faciunt plurima authorum obſervata. Talia ſunt fomenta varia, cataplaſmata, ſuffitus, & præſertim collyria identidem inſtillata oculis, & reſolventibus parata nempè ex aquis diſtillatis fæniculi, rutæ, euphraſiæ, chelidonii, aut alterius plantæ ophtalmicæ, earumdem plantarum ſucco aut decocto, ſanguine columbino calente, felle variorum animalium melle permixtò, & ſimilibus.

2°. Si matureſcat nihil moliendum eſt ſed expectandum potiùs donec cataracta perfectè maturitatis tempus attigerit quo in caſu certum habet opacitatis & conſiſtentiæ gradum cujus ratione deprimi poſſit.

3°. Inveteratam ſeu confirmatam cataractam vim remediorum imò & operationem chirurgicam elude experientiâ notum eſt, quippè hæc præ nimiâ ſuâ duritie, & partibus vicinis adhæſione acu deprimi nequaquam poteſt; verùm etiam augente concretione ſerpit malum ad vitreum humorem, & ad retinam prorſus immedicabile.

4° Indè evidens eſt ſolam cataractam quæ matura dicitur arte chirurgicâ nimirum operatione curari poſſe quàm ocularii inſtituunt ſequenti methodo.

Selectâ itaque oportunâ anni tempeſtate vernâ ſcilicet, aut autumnali præmiſſis venæ ſectione, & diætâ convenienti æger in adverſo

ſedili collocetur loco lucido lumini adverſo, dein deligato oculo ſano, caput ægri immotum detineat miniſter à poſteriori parte conſtitutus, moxque jubeat chirurgus ut æger ad majorem oculi angulum oculorum diducat, quibus ità peractis ocularius hanc adnatæ partem quæ corneæ proxima eſt, quæque minori oculi cantho proſpicit, aut quædam perfoɹare debet huic operi idoneâ, & manu briolo inſtructæ, quàm intus demittit obliquo ductu, donec ejus tuſpis ſuffuſionis locum attigerit, & ſub pupillâ appareat. Tunc autem hinc & indè, leviter tamen acus vertenda eſt, ut ſolvantur cataractæ vincula, moxquè deindè ſenſim infrà regionem pupillæ iteratis ſuccuſſibus deducenda quibus apprehenſa cataracta ad fundum oculi deprimi poſſit, ibidemquè inſidere, ſi res ità ſit curatio expleta eſt, ſi verò ſurſum redeat, iterùm eâdem aciculâ magis ac magis concidenda eſt, à vicinis partibus ſejungenda donec oculi fundo adhæreat, quod ubi factum eſt, eductâ acu; clauſus ægris oculus ovi albumine cùm aquâ roſarum conquaſſato obtegendus eſt, ac molli faſciâ deligandus, hoc in ſtatu æger in lecto quieſcat cubiculo exactè clauſo, ne lumen ipſi noceat, ſolis juſculis veſcatur per aliquot dies vitandæ febris, & inflammationis causâ, aliaque auxilia non negligat, quæ inflammationem oculorum vel arcere ſi immineat, vel ſi jam facta ſit compeſcere valeant, ac tandem circà ſeptimum vel octavum diem oculi ſuis motibus permittendi ſunt, & ſolvenda paulatim apparatus ligatura, ne nimio lumine viſus ſubitò obruatur.

Cæterùm utcumque ſucceſſerit operatio

intereà contingit sæpè numero, ut post operationem visio minùs rectè perficiatur quàm anteà, illud autem non ex aquis humoris jacturâ deducendum esse arbitramur, quàm brevi novâ secretione reparari plurima testantur observata, sed potiùs ex eò quod cristallinus humor vel è loco suo dimotus, vel ad fundum oculi deductus fuerit operatione chirurgicâ, vel saltem quod anterior ejus pars concreta per operationem discerpta, atque concisa solitam convexitatem amittat, neque proindè radiorum solarium ingressum, ut par est, pati queat, quo in casu specillis convexis opus est, quæ cristallini vicem suppleant, ut objecta visibilia consueto more, hoc est distincti percipiantur.

ARTICULUS XII.

De Hypopyo.

GUtta serena Græcè amaurosis vulgò definiri solet perfecta visionis abolitio absquè conspicuâ oculorum labe.

Cum eâ perperam nonnulli confundunt obscuritatem visus quam Græci amblyopyam nominant, si quidem in priori casu cæcitas est, & visus aboletur, in posteriori verò simplex oculorum habitudo infertur, & maxima fit visionis imminutio. De his tamen duobus affectibus hic differere operæ pretium est, cum inter se solummodò differant causarum eos inducentium intensione, quæcumque autem de guttâ serenâ dicturi sumus paucis

paucis mutatis ambliopiæ explicandæ accomodari facilè poterunt.

DIFFERENTIÆ.

Cum amaurſis producatur modò à ſolo oculorum vitio independenter à vitio cerebri, aut aliarum partium ab oculis diſſitarum, modò verò aliorum affectuum ſimptoma ſit, & remotarum partium vitia ſubſequatur, ſequitur eam dividi poſſe in idiopatyicam, & ſimptopaticam, hanc phrenitidi, febribus ardentibus, menſtruorum ſuppreſſioni &c. ſupervenire, illam verò abſque ullo prævio morbo invadere notum eſt.

Rursùs prout ejus cauſa ſubitò agit, vel pedetentim ſubitaneamque, vel gradariam, ac ſucceſſivam cæcitatem excitat, alia extemporanea, alia gradaria dici poſſet.

CAUSÆ.

Sequitur ex definitione ſuperiùs allatâ, imò & hâc de re Authores inter ſe unanimiter conſentiunt nullum eſſe oculi vitium in amauroſi, proindèque vulgò creditur nec immeritò hunc morbum nervorum opticorum paralyſim pro cauſâ agnoſcere quæ prout perfecta eſt vel imperfecta viſionem vel omninò inhibet, vel notabiliter tantùm imminuit, undè vel amauroſim, vel ambliopiam acceſſit, cauſas ergò omnes guttæ ſerenæ ex illis quæ nervorum opticorum paralyſim ſolent inducere eruendas eſſe quis non videt? indè enim ut ut radii ſolares humores oculorum pervadant, & retinam feriant. Quoniam ta-

men hæc impar erit tranſmittendis impreſſionibus ſenſiferis ad cerebrum futurum neceſſariò ut objecta viſibilia non percipiantur ab animâ quæ non modificatur niſi impreſſio in organis externis facta ad emporium propagetur, ut docet Phiſiologia.

Reſolvuntur nervi optici cæterorum inſtar multiplici de causâ, obſtructione nimirùm compreſſione, relaxatione, vel tandèm ſectione. Quælibèt igitur nervos opticos obſtruere, comprimere, laxare, vel rodere & ſcindere poterunt, ea omnia guttam ſerenam remotè producent.

1°. Obſtruentur nervi optici à contento liquido ſpirituoſo; nàm quamvis liquidum illud quod aëreum credimus tenuiſſimum ſit, ad hunc tamen conſiſtentiæ gradum perduci poſſe nihil vetat, quo obturetur penitùs ductuum nervoſorum cavitas, ſi lymphaticæ plurimæ ſanguinis partes ac fibroſæ concretionis capaces cum illo per cerebri colum ſecernatur; verùm ad hoc opus ſupponendum eſt vitium quodpiam prævium in glandulis cerebri, quo major pateat via partibus craſſioribus & lymphaticis, imò ſtatuendum vitium illud dumtaxat in eis glandulis à quibus fibrillæ nervorum opticorum medullares ſoboleſcunt, cum cæteri cæterorum organorum nervi benè ſe habeant, quod profectò cum difficile perfici poſſit, cauſam hanc non impoſſibilem quidem, ſed raram admodum manifeſtò arguit, talis autem obſtructio, vel in glandulis cerebri corticalibus, vel in nervorum origine, vel in eorumdem progreſſu, aut retinâ ipsâ concipi poteſt.

2°. Compreſſio nervorum opticorum plu-

ribus causis adscribi posse videtur nempè 1°. Tumoribus vicinarum partium à cerebro ad retinam usquè progrediendo puta steamati, vel nodis variis, aut frigidis tuberculis in durâ matre cranii basim obvestiente, aut in nervorum involucris obortis. 2°. Nimiæ carotidum turgescentiæ præsertìm verò eorum ramorum qui nervis opticis utrinquè accumbentes sanguini ad oculos deducendo inserviunt, & trans primum foramen ossi basilari insculptum unà cum nervo optico trajiciuntur. 3°. Obstructioni, ac distensioni vasorum sanguineorum fibrillis nerveis intertextorum, quâ fibrillarum fasciculus ex quo nervus opticus conflatur ad minùs spatium redigitur. 4°. Ossium depressioni, vel exostosibus eorumdèm in basi calvariæ, vel in lateribus foraminis optici ex inveteratâ lucythereâ. 5°. Demùm lucis actioni nimiæ, quâ impingentes ad retinam radii vel membranam hanc adurunt, vel expansivum sanguinis motum ità perturbant, ut indè inflammatâ retinâ, obliteratâ nervorum cavitate, spiritibus viam penitùs occludat, sicut iis accidit qui diutiùs solem conspiciunt, vel qui è loco obscuro dilatatâ plurimùm pupillâ in lucem subitò prodeunt, vel qui tabulatorum conspicillorum foco soli obvio imprudentes sese exponunt. Has causas præ cæteris guttam serenam frequentiùs excitare persuasum habemus.

3°. Laxantur nervi optici vel in cerebro, vel extrà cerebrum in suo progressu, aut in retinâ ipsâ, utrobiquè laxitas repetenda est à redundante sero quo imbuuntur fibrillæ nerveæ; & molliores fiunt, minùsque aptæ im-

preſſionibus ſenſiferis tranſmittendis. Exudat autem ſerum ob lentiorem ſanguinis & lymphæ circuitum, vel ob diatheſim humorum nimis aquoſam.

4°. Solvuntur nervi optici vel ab inſtrumentis pungentibus & ſecantibus, ut ex vulnere accidit, vel ab humoribus corroſivis ut in abſceſſibus in viciniâ latentibus contingit

SIMPTOMATA.

1°. Nervorum quorumcumque reſolutio, ſeu Paralyſis pro variis cauſis à quibus oritur, nunc ſubitò & confeſtim, nunc verò ſenſim, & ſucceſſivè producitur, ut ſuo loco inferiùs exponetur dùm de morbis capitis internis ad quos hæc affectio vulgò revocari ſolet idem igitur eſto judicium de guttâ ſerenâ quæ pendet à nervorum opticorum paralyſi, quam nunc ſubitaneam eſſe nunc verò gradariam ac ſucceſſivam quotidianâ docemur experientiâ.

2°. Si gutta ſerena gradario quodam veluti progreſſu ægrum afficiat, inter initia feſtucæ, muſcæ, puncta quædam nigricantia vel filamenta lanæ carptæ ſimilia per aërem ſparſa videbuntur, qualia in glauco mate incipiente oculis obverſari ſuprà diximus, ex eo quod non omnes, & ſingulæ ſtatim nervi optici fibrilæ ex æquo vitientur, ſed quædam præ aliis dumtaxat impares fiant ſolitis objectorum externorum impreſſionibus ad cerebrum tranſmittendis.

5°. Interim tamen ubi gutta ſerena aliquandiù invaſit, quoniam omnes fibræ nervi optici notabiliter læduntur licèt inæqualiter

visio minùs rectè perficitur, & ambliopia sivè hebetudo visus excitatur, quia deficiente debitâ retinæ tensione, consuetus radiorum visibilium ad eam membranam impingentium motus paulatim retunditur, neque proindè solito more cerebro communicari potest.

4°. Sin autem ex adverso gutta serena derepentè invaserit, vel si utcumque successivè procedat, intendatur causarum vehementia, perfecta fiet singularum nervi optici fibrillarum paralysis, ut cæcitas omnimoda inducetur, in quâ amaurosim consistere diximus.

5°. Deniquè summa pupillæ dilatatio, seù mydriasis guttam serenam comitatur quia musculus orbicularis pupillæ constrictor resolvitur, dum fibræ carneæ, ac radiosæ ejusdem pupillæ dilatationi dicatæ suum contractionis nisum exerunt, atque adeò quandò oculus sanus clausus est pupilla manet in eodem statu, nec contrahitur, nec dilatatur.

DIAGNOSIS.

Amaurosis sola cæcitate posset cum glaucomate inveterato confundi, eam itaquè non distingues cæcitate, quæ ab aliis causis produci quam à nervorum opticorum paralysi, sed potiùs naturali oculorum statu, cum abolitâ visione, undè evidens fit coeteras abesse causas quibus cæcitas induci potest, adeoque visum aboleri ob retinæ vel nervorum opticorum paralysim, quæ nullam conspicuam oculis labem inferre potis est præter mydriasim, seù majorem pupillæ dilatationem quæ aliundè symptoma est guttæ serenæ pathognomonicum.

Causæ difficiliùs multò, nec nisi conjecturis tantùm innotescunt nimirùm ex iis quæ morbum vel comitantur, vel præcesserunt.

PROGNOSIS.

Uterque morbus (amaurosis & ambliopia) incommodus est & gravis, neutiquam verò per se saltèm quoad vitam periculosus.

Ambliopia seù visus obscuritas quæ imperfectam supponit paralysim curari faciliùs potest guttâ serenâ quæ cæcitate stipatur, quæque proindè paralysim retinæ perfectam agnoscit, hæc si recens sit aut juvenili ætate contingat, si à causâ quâpiam fugaci dependeat, nempè à nimiâ vasorum plenitudine; si causis externis ortum debeat, putà diuturniori solis conspectui, minùs resistit remediis quàm si inveterata fuerit, aut senibus superveniat, vel à causis internis præcipuè verò continuò & pertinacitèr agentibus producatur, quæ fit ab exostosibus, aut tuberculis venereis, extincto ope hidrargirosis viru venereo, felicitèr persanatur. Dum uterque oculus prognosis pejor, quàm si unus tantùm oculus afficiatur, gradaria magis periculosâ subitâ, symptopatica prognosim sequitur morborum à quibus producitur.

CURATIO.

Amaurosis pro variis causis diversam requirit medendi methodum ac.

1°. Quidem si febrium continuarum, vel ardentium comes sit, venæ sectionibus, diatentibus, & refrigerantibus indiget, aliisque

quibus auxiliis orgaſmus febrilis compeſci poteſt.

2º. Si à menſium ſuppreſſione oriatur, venæ ſectio revulſiva è talo, aperientia, & emmenagoga multùm proſunt, iis enim vacuato per conſuetas vias ſanguine, ac depletis cerebri vaſis, tollitur retinæ infarctus.

3º. Si luem veneream latere maxima ſuſpicio ſit, corpus quam primùm fieri poterit unguento mercuriali inungendum, neglectis coeteris auxiliis quæ morbum hoc in caſu ſæpè exaſperant.

4º. Si a cauſis externis dependeat V. G. ab inſolatione nimiâ, vel diuturniori corporis cujuſdam lucidi aſpectu, illæ omni arte removendæ ſunt, ut remedia deinceps adhibenda feliciùs ſuccedant.

5º. Si ob vulnus oculis inflictum nervi optici ſecti fnerint inſanabilis morbus eſt, totaque therapeia in vulneris curatione conſiſtit.

6º. Si à ruptione vaſorum ſanguiferorum nervi optici, videndum nùm turgeant, vaſa hæc inæqualitèr, & infarciatur ob ſanguinis rareſcentiam nimiam, vel ob ejuſdem craſſitiem, & lentorem, in primo caſu cura competit eadem quæ ſolet adhiberi in guttâ ſerenâ febribus continuis ſuperveniente, in poſteriori verò caſu utendum remediis mox proponendis ad nervorum opticorum compreſſionem, aut laxitatem tollendam idoneis.

Ultimò tandem dùm gutta ſerenâ pendet à laxatis vel compreſſis nervis opticis, quæ duæ cauſæ omnium frequentiſſimæ ſunt, ſequenti methodo procedendum.

1°. Instituatur victus ratio attenuans & exsiccans, nempè vitetur aer crassus, frigidus, ac nebulosus, utendum alimentis boni succi, & coctu facilibus, exercitia moderata sint, ne quid nimis in somno, & vigiliâ, libera servetur aluus, vehementes deniquè animi motus sedulò declinandi.

2°. Si adsint signa plethoræ, & calida sit ægri temperies, aut juvenilis ætas, venæ sectione quædam sanguinis quantitas est educenda, scilicèt ut depletis vasis humores liberiùs circulentur, & meliùs tutiùsque agant apta medicamina. Præstat juxtà nonnullorum sententiam præ cæteris venam tali aperire ad revellendum sanguinem è capite, aut venam frontis ad derivandum, ità docente SPIGELIO. Secùs autem si nulla redundantis sanguinis indicia sint, & frigidum aliundè seu pituitosum sit ægri temperamentum, aut senilis ætas, à phlebotomiâ abstinendum.

3°. Præmissâ venæ sectione plus minusvè repetita pro ægri statu, temperamento & ætate, cathartica in usum vocanda sunt ut primæ viæ mundentur cruditatibus si quæ sint, ut sanguis crassus dividatur, & serum luxurians ad intestinales glandulas uberiùs amandetur. His anteponenda vel saltem admiscenda emetica quæ simplicibus catharticis magis evacuant, & sanguinem potentiùs atterunt, quibus remediis si resistat stomacus, & alimenta malè digeri indicium sit, cardiacis & stomachum roborantibus subindè assumptis opus est ad juvandam ciborum actionem ut nux muschata, cinnamomum, vetus theriaca &c.

4°. Corrigenda dein sanguinis crassities

aperientibus & incidentibus initio mitioribus, posteà fortioribus quare præscripto cathartico juscula exibeantur aperientia, postmodùm opiata chalibeata & purgans, deindè juscula viperina, ptisana sudorifica, aliaque hujus generis quæ non modò vasorum impedimenta referant sanguinem dividendo, verum etiam eorum laxitatem tollunt, serum luxurians foras evacuando. Ad hæc caput & præsertim oculi exteriùs irriganda sunt aquis thermalibus quales sunt bellilucanæ quibus humores in nervis opticis hærentes exagitantur, solvuntur, serum assumitur, cerebrum roboratur, nervique laxiores exsiccantur, ac pristinum tonum recuperant, eos etiam bibere per triduum quandòque utile est ad primas vias penitùs everrendas.

5°. Authores plurimi in praxi exercitatissimi multùm hoc in casu conferre asserunt, nec sine fundamento vesicatoria, cauteria, setacea, & cucurbitulas scarificatas occipiti admotas, cum hæc omnia magnam seri copiam educant, quin imò derivatoriâ evacuatione nimium humorum ad oculos affluxum præcavent. pari fermè modò agunt masticatoria, herrina, & sternutatoria quæ idcircò usurpari debent. His autem omnibus quæ benè multa sunt, præferri debet tabacum imprimis, si æger hujus usui non assuerit, atque vel mandare oportet, vel ejus fumum fistula haurire, vel illius pulverem totis naribus attrahere.

6°. Demùm quoad topica varia nempè collyria & suffitus de quibus mentio fit apud Authores verisimile est quanta fit eorum vis vix quidquam posse in guttâ serenâ, cum nequeant retinæ aut nervis opticis immediatè

applicari, totamque interjectam oculi molem pervadere debeant, antequàm ad partem affectam perducantur: præterea docet experientia eorum usum semper irritum esse in morbo quandòque nocivum.

CAPUT II.

De morbis aurium.

SIcut oculi librorum lectione conferunt ad mentem erudiendam, scientiasque acquirendas, ità & aures sono recipiendo dicatæ mentem instruunt & informant auditis aliorum hominum vocibus, sermone, documentis, quamobrem cum hæc organa eidem operi, velut junctis viribus inserviant non abs re erit expositis semel oculorum vitiis, vitia aurium pervestigare, quod quinque sequentibus articulis perficere conabimur.

ARTICULUS I.

De *surditate & gravi auditu.*

SUrdos vocat vulgus, non modò eos qui audiendi sensu omninò carent, sed etiam surdastros qui aures habent hebetiores; præstat tamen utroque maximè distinguere, atque ideò placuit Medicis nec immeritò surditatem, & gravem auditum tanquam duos affectus considerare, interim quoniam uterque

morbus pendet ab iisdem causis intensiùs, aut debiliùs agentibus, eamdemque remedia expostulat, utrumque idcircò ne semel dicta repetantur in hoc eodem articulo comprehendere juvat.

Surditas itaquè propriè dicta est ea auditus abolitio, quâ affecti nullatenùs audiunt loquentes tamètsi altâ voce clamantes, vel si audiant, prolatas voces non intelligunt, sed inanem quemnam percipiunt sonum, atque confusum, cujus varietates, & differentias distinguere nullomodò possunt. Hæc auditus abolitio *Cophosis* græcè dicitur, per auditum difficilem quem Græci *Barucoyam* vocant, Latini vèrò gravitatem auditus intelligimus hujus functionis imminutionem maximam in quâ ægri loquentes ægrè audiunt, nec nisi quandò vociferantur, vel quandò juxtà aures ipsos alloquuntur.

DIFFERENTIÆ.

Cum surditas interdùm sit per se à vitio partium auditus sensui naturaliter excitando servientium oriundus independenter à morbo quodam prægresso, interdùm verò aliorum affectuum simptoma sit putà febrium continuarum, malignarum *&c.* sequitur hanc in idiopathicam & simptopaticam distinguendam. Rursùs prout vitium organi à parentibus transmittitur in prolem, vel in utero aut aliquantò post nativitatem infertur, triplex surditas statui potest hæreditaria scilicèt, connata, vel adventitia; similes admitti debent differentiæ auditus gravis.

CAUSÆ.

Ut accuratè procedat causarum enumeratio, ac ne labes quædam prætermittatur quæ auditus exercitio nocere possit, videndum imprimis quænam ad auditum naturaliter perficiendum concurrant, eò namque perspecto facilè erit intelligere quæcumque functionem hanc labefactare apta sunt, ejusque exercitium naturale vel minuere, vel penitùs cohibere, sicque surditatem, vel auditus gravitatem inducere.

Verùm ad naturale sensus auditus exercitium plura desiderari docet organi ad hoc opus à naturâ dicati fabrica insigni constructa artificio atque pluribus machinamentis unâ conspirantibus conflata, nimirùm 1°. requiritur conveniens partium auris externæ dispositio quâ radii sonori à corpore sonoro emissi congregentur 2°. Debita amplitudo meatus auditorii, cujus ratione iidem radii sonori hujus meatus cavitatem permeent, & timpani membranam attingant. 3°. Requisita membranæ timpani tensio, quâ motus aëris externi vibratorius alteri aëris in timpani cavitate collecto communicetur. 4°. Proindè præsentia cujusdam aëri in cavitate timpani quod motum hunc vibratorium recipiat, 5°. Communicatio motus aëris interni per fenestram utramque ovalem, & rotundam aëri in variis labyrinthi cavitatibus contento nempè in schalâ superiore, & inferiore cochleæ, vel in ductibus semi-circularibus. 6°. Nervorum acousticorum motio. 7°. Tandem ejusdem motionis nervis impressæ ad sensorium commune

mune propagatio. Hæc ſi ritè conſentiant corporum ſonorum impreſſiones percipi eo modo, quo par eſt. Sin minùs ex his alterutrum deficiat, auditus ſenſationem malè exerceri conſequens eſt.

Hinc patet ſurditatem à multiplici vitio produci poſſe 1°. ſi pars auris externæ cartilaginea, ac præſertim concha deficiat. 2°. Si meatus auditorius obturatus ſit, & radiorum ſonorum aditum non permittat. 3o. Si deſit membrana tympani, aut præternaturam læſa ſit. 4°. Si cavitas tympani aëre non repleatur, ſed potiùs aliquâ aliâ materiâ vibrationem obtundente. 5°. Si in utrâque feneſtrâ, vel in ſchalâ ſuperiore aut inferiore cochleæ, vel in ductibus ſemi-circularibus aliquod obturaculum ſit, quod communicationem motus aëri in labyrintho incluſo præpediat. 6°. Si nervi auditorii ſuſcipiendis radiorom ſonorum impreſſionibus impares ſint. 7°. deniquè ſi motis nervis acauſticis impreſſa ad cerebrum propagari nullo modo poſſit.

Singula autem hæc vitia jàm ordine percurramus ut indè ſurditatis cauſæ remotæ pateſiant, ac. 1°. Pars auris cartilaginea vel concha deficiet, vel ex pravâ conformatione, vel ex auriculæ amputatione, quæ duæ cauſæ raró admodùm contingunt.

2°. Meatum auditorium plurima obturare poterunt, & radiis ſonoris aditum præcludere, nempè corpora viſcida & oleoſ: præ nimiâ craſſitie ac viſciditate parietibus hujus ductus inhærentium ut V. G. olea varia ad compeſcendum aurium dolorem in alvearium introducta quibus nonnulli diutiùs abutuntur, ingreſſus aquæ, in eumdem meatum audito-

rium, ut accidit urinatoribus qui se aquis immergunt, vel iis quorum caput aquis thermalibus irrigatur, similiter insecta aut animalcula qnæ aliquandò in aures irrepunt, aliavè id genus, externa corpora, sed præcipuè humor ille sebaceus, & ceruminosus qui naturâ suâ viscidus præ morâ diuturniore, vel crassitie nimiâ ità parietibus totiùs alvearii adhærescit, ut viam transeuntibus radiis sonoris penitùs occludat. Hic autem humor stagnabit nimiùm, vel ob ægrorum incuriam qui non utuntur auris scalpio, vel ob frigiditatem nimiam aëris externi, si pars ossea quæ tympano proxima est, tumeat, & exostosi a iciatur. Exostoses igitur in parte illius canalis osseâ obortæ possunt remotè surditatem parere meatum auditorium obturando, potest sanies aut pus iu meatu auditorio interno innatum surditatem advocare illum pariter obturando.

3°. Causæ omnes quibus poterit laxari membrana tympani surditatem vel auditus gravitatem remotè inferent, quatenùs impedient ne motus aëris externi vibratorius interno aëri communicetur. Hæc autem laxitas vel effuso sero in cavitatem tympani internam membranæ hujus faciem subeunti; vel partibus aquæ per meatum auditorium aures ingressis, & extimam ejusdem membranæ superficiem penetrantibus, vel aëri externo humidiori tribuenda est. Quod defectum hujus membranæ, hunc per se surditatem advocare non posse certum est, si quidem experientiâ constat, ruptam fuisse, perforatam, ac discissam in variis animalibus absquè ullo auditus vitio. Non diffitendum tamen remotè quan-

dòque ſurditatem producere poſſe cum eâ ſublatâ aut diſciſsâ aurium ſordes tympani cavitatem adeant, atquè in eâ congeſtæ ſoni propagationem inhibeant, ut jàm dicturi ſumus.

40. Ad hoc ut radiorum ſonororum impreſſio ad internam auram tranſmittatur neceſſe eſt ut in tympani cavitate contineatur aer quem innatum vocitant, purus & ab omni inquinamento liber. Ille autem ſordibus inquinabitur duplici potiſſimùm de causâ 1°. Si membrana Tympani deficiat, ſi rupta, ſi pertuſa, aut dilacerata fuerit, tunc enim humor ceruminoſus, craſſus & viſcidus ex alveario in Tympani cavitatem migrare poterit eam ſucceſſu temporis oppleturus. 2°. Si tuba euſtachiana cujus ope aer externus cum Tympani cavo communicat, & quæ proindè acri innato reſiciendo ſimul, & expurgando deſtinatur, obſtructa fuerit, aut compreſſa, ità ut renovare acrem innatum ampliùs nequeat, quæcumque ergò Tympani membranam rumpere, dilacerare pertundere, quæcumque pariter acris aditum ad cavitatem Tympani per tubam euſtachianam præpedire poterunt, ea omnia ſurditatem remotè illatura eſſe evidens eſt, Tympani obſtructionem pariendo.

Deficiet membrana Tympani ſi ipſamet inflammata exulceretur, aut in abſceſſum degeneret, vel ſi corrodatur à pure latente in alveario aut cavitate Tympani ob partium vicinarum ulcera, abſceſſus, cariem ; ſic ſurditatem prægreſſis aurium doloribus ſupervenire ſolemne eſt, rumpetur & perforabitur vel ab iiſdem cauſis enumeratis in aliquâ

tantum membranæ parte agentibus, vel à causâ quâdam externa puta instrumento acuto in alvearium violenter adacto, vel inflicto vulnere &c. Tandem dilacerabitur vel exteriùs nempè à pure ut dictum est, vel ab humore ceruminoso acriori, vel interiùs abstagnantibus liquidis in proprio vasorum sinu contentis quæ acredinem contraxerunt.

Tuba Eustachiana obstruetur ab humore quo naturaliter irroratur interna ejus superficies, videlicèt si ille humor viscidus evaserit, & à sanguine simili labe inquinato soboleſcat. Comprimetur verò si latera hujus ductus, aut partes vicinæ tumeant nimirùm si tubæ substantia, posteriores palati partes ejusdem tubæ fini proximæ inflammentur, vel si pars ejus ossea quæ tympanum respicit exostosim patiatur.

Prætereà utcumquè tuba eustachiana & membrana Tympani benè constituta sint obstruetur tympanum à liquidis in ejus cavitatem præternaturam effusis nempè sanguine, aut pure, si sanguifera ex quibus componitur periostæum totam tympani cavitatem, & ossicula obducens inflammata, & ultrà modum dilatata rumpantur, vel si pus in partibus vicinioribus collectum Cystydis apertione diffluens in tympani cavitatem, sibi viam faciat.

5°. Ambæ fenestræ ovalis & rotunda quibus patet aditus à tympano ad varias labyrinthi partes occludantur penitùs ab iis quæ in tympani cavitate continentur, quidquid ergò poterit surditatem accersere tympani cavitatem obturando poterit similiter eodem nomine inter surditatis causas remotas annumerari, quatenùs fenestras tympani claudet.

Inſuper veſtibulum canales tres ſemícirculares, atque ſcala utraque cochleæ obſtrui poterunt ab humoribus extrà vaſa effuſis, & acris innati locum occupantibus quemadmodùm ſuprà dictum eſt de tympano.

69. Nervi acauſtici ſuſcipiendis radiorum ſonorum impreſſionibus inepti evadent, ſi Paralitici fiant, adeòque cauſæ omnes quæ guttam ſerenam inducere dictum eſt, nervos opticos labefactando poterunt ſimiliter ſurditatem inferre laxando, obſtruendo, vel premendo, vel ſecundo nervos auditorios, præſertim verò partem mollem quæ per labyrinthum diſpergitur, & quæ potiſſimum, ac præcipuum auditus eſt inſtrumentum, eas igitur hic enumerare ſupævacaneum foret, ſufficiat itàque dixiſſe cauſas quibus debetur eorum nervorum laxitas, aut compreſſio eſſe frequentiores cœteris quibus iidem nervi aut ſcinduntur, aut obſtruuntur.

Nota obſtructionem nervorum acouſticorum difficilem eſſe ut videre eſt ubi de guttâ ſerenâ, ſectionem verò eorumdem omnium difficillimam quia nervus undequaque partibus oſſeis cingitur. Neque proindè fieri poſſe niſi vel à pure, vel à saniè quod rarum eſt.

70. Demùm quamvis motus objectorum ſonorum vibratoriùs, organo auditus benè conſtituto imprimatur, nulla tamen vel levis ſonorum ideà excitabitur; ſi motus ille vel non propagetur ad ſenſorium commune, vel plurimum obtundatur, ut patet ex notâ ſenſationem externarum naturâ, talis autem motûs communicationem præpedient, vel notabiliter imminuent nervorum acouſticorum in cerebro vitia nempè major, aut minor eo-

rum laxitas, obstructio, compressio in origine, vel in prægressu, sic apoplectici, epileptici surdi sunt, sic pariter comatosi, carotici, lethargici, aliiquè barucoyâ afficiuntur. Verùm hanc auditus privationem, vel imminutionem quæ secum adjuncta habet aliorum sensuum tùm externorum, tùm internorum vitia surditatis nomine appellare non solet medicorum vulgus, sed illam dumtaxat, quæ à partium auditus organum afficientium vitio dependet, qua propter ea vitia, eorumque causas remotas de industriâ prætermittimus, quæ quidem aliundè erui poterunt ex soporosorum affectuum æthiologiâ.

SIMPTOMATA.

1°. Surditas interdum continua est, interdum per intervalla crescit, & decrescit, prout ejus causâ continuo præsens est, vel sub indè intenditur, aut remittitur, priùs accidit quandò surditas à pravâ organi conformatione, vel à tumore quopiam, vel ab accustici nervi resolutione, aut consimili aliâ causâ continuè agente. Posteriùs verò quandò pendet à laxitate membranæ tympani, aut quâlibet aliâ causâ fugaci quæ desinere, ac denuò recurrere apta est, pro diverso vitæ regimine, variâ cæli temperiè humidiore, aut ficciore &c. sic surdos tempetaste serenâ, & siccâ exquisitus, austrinâ verò ac nebulosâ obtusius audire compertum est.

2°. In omni surditate, à quâcumque causâ pendeat turbato sanguinis, humoris cerumi-nosi, aliorumvè liquorum aures irrorantium circuitu hærent ea liquida in suis concepta-

culis, proindèque vaſorum tunicæ præter naturam diſtenduntur, & moleſtam ſenſationem excitant, nihil mirum ergò ſi ſurditas dolore aurium ſtipetur nunc gravativo, & obſcuro, ſi liquida lentè aggerantur & minori copiâ, nunc verò pungitivo, & acuto, ſi eadem liquida ubertim congeſta magnam & ſubitaneam vim vaſorum tunicis inferant, quâ diſtractos violenter nervos acouſticos dolorificum in animâ ſenſum parituros eſſe conſequens eſt. Rurſus alteruter ille dolor vel in partibus externis aurium, vel internis percipitur, prout diverſæ illæ partes dolorificè diſtrahuntur, dolorem autem ſæpè ſurditatem præcedere, ejuſque cauſam eſſe cuilibet notum eſt.

3°. Surditas non numquàm fit ab inflammatione aurium, vel eamdem accerſit, ut ut res ſe habeat, quoniam inflammatis auribus, membranâ tympani V. G. inflammatione affectâ, vaſa illiùs arterioſa fortiter ſimul & inæqualiter pulſant, futurum neceſſariò ut commoto aëre in tympani, aut labyrinthi cavitate contento, falſa excitetur ſoni perceptio ad partem auris internam referenda, quæ tinnitus aurium ſolet appellari.

4° Surdi à nativitate muti ſunt & elingues, non quod ut aliquibus placet, affectis auribus, organa loquelæ inſervientia afficiantur, ob ſympathiam nervorum quintæ conjugationis qui tùm per aures, tùm per linguam diſſeminantur. Omnes enim ſurdi etiam ex adventitiâ causâ deberent eâ ratione obmuteſcere, ſed potiori jure quia cùm nequeant voces ſingulis rebus arbitrio hominum alligatas ediſcere, eaſdem articulatim, diſtinctèque pronunciare minimè poſſunt, ſed ſo-

lùm gestu, nutuque ideas suas aliis communicant.

5°. Demùm quoniam ex consuetudine loquendi promptior est linguæ motus ad diversas voces proferendas, sequitur ratione oppositâ fore ut surdi etiam ex adventitiâ causâ ob loquendi insolentiam, voces obliviscantur, & ad loquendum tardi successu temporis stupidi, ac penè elingues evadant.

DIAGNOSIS.

Surditas ex relatu ægrorum, & modo quo ad interrogata respondent, evidens est, idiopathicam à symptomaticâ facile erit distinguere ex iis quæ præcesserunt, an hæreditaria sit, vel connata, vel adventitia ab astantibus, vel à parentibus per cunctandum.

Verùm non ità facilè hujus morbi causæ innotescunt, cùm etenim multà ad auditus exercitium machinamenta concurrant, quorum pars magna in thecâ osseâ reconditur, sequitur surditatis causas non modò multiplices esse, sed valdè obscuras, nec nisi conjecturis admodum dubiis obtineri posse, si auriculæ externæ amputationem excipias, vel alvearii obstructionem à causâ aliquâ externâ, & manifestâ, illas tamen divinari operæ pretium est, ut convenientia præsidia adhibeantur.

1°. Itàque vitium meatus auditorii judicatur si extraneum aliquod corpus in concham irrepsisse asserat æger, si tumor in parte auris externâ appareat, si dolor ad exteriora referatur, si demùm materia quædam crassa, viscida, sanguinea, ichorosa, aut purulenta jugiter ex alveario exterius profluat. Præter-

tim verò si topica remedia feliciter successerint, quæ quidem ultima conjectura nullum arguit in interiore organo vitium. Similiter membranam tympani ruptam discissam, vel laxatam fuisse probabiliter colligitur ex signis inflammationis, ulceris, rupti abscessis, vel ex eo quod causa aliqua externa præcesserit putà aquæi latiùs introductio, vulnus, sonus vehementior, qualis est fragor à tormento bellico excitatus, &c.

2°. Mediam aurem, vel internam affici significant tùm dolor internus aurium sine tumore ullo conspicuo, tùm absentia signorum quæ auris externæ labem demonstrant.

3°. Vitiatum cerebrum surditatem producere non levis est suspicio, ex eo quod tunc ille affectus vel cùm aliorum sensuum læsione conjungatur, vel prægresso alicui morbo supervenerit.

4°. Sanguinem causam esse surditatis ex dolore aurium acutissimo, frigidum aliquem humorem V. G. lympham, serum effusum, aut cerumen ex tumore frigido & absentiâ doloris: pus denique ex prægressis inflammationis signis conjicere licet.

5°. Tandem vitiosam aurium conformationem in culpâ declarat vitium parentum hæreditarium.

PROGNOSIS.

Surditas vitæ societati maximè noxia est, & summam affert ægris molestiam, quia cum nequeant aliorum scire consilia, neque ipsis sua aperire, tristes, morosi, inquieti fiunt, imò si surdi omninò sint, rerum voces penitùs obliti, loquendi usum amittunt. Hinc surdi-

tas gravis & molestus est morbus, difficilèqûe sanabalis.

Gravitas verò auditus non ità curatu difficilis est, ob minorem causæ morbificæ vehementiam. Hanc tamen quandoquè in surditatem abire experientia docet, auctâ causæ efficaciâ præsertìm si initio negligatur, vel intrà breve temporis spatium non resolvatur.

Idiopathica & simptomatica variam habent Prognosim pro diversis circumstantiis; nàm 1°. Idiopathica surditas si continua, inveterata, congenita, vel hæreditaria fuerit insanabilis censetur, secùs verò si recens sit, adventitia, vel subindè desinat & recurrat, remediis aliquandò cedit.

2°. Simptomatica pariter nùnc sublato morbo primario à quo pendet, tollitur, sic sæpè numero observamus surditatem vel gravitatem auditus, febribus continuis, aut malignis supervenientem remittente febre sensìm decrescere, ac tandem eâ cessante curari, atquè hinc est quod plerumque salutaris sit, & boni ominis, quoniam humores ab internis partibus ad externas metastasi delati interiora capitis ab infarctu liberant; nùnc verò contumax est, & remediis major quod vitium cerebri consequatur, & nervi acoustici, ob similem metastasim, resolutionem promoveat, quæ resolutio, seu paralysis nulli cedit therapeiæ, atquè indè est, cùr surditas à vitio cerebri oriunda difficiliùs curam admittat eâ quæ aurium vitio dependet, seù potiùs medicamentorum omnium actionem constantèr eludet. Utraque tùm simptomatica, tùm idiopathica gravior est, vel levior

proũt à variis cauſis producitur. Sic ſurditas quæ à causâ externâ fit, putà ab inſectorum illapſu, humoris ceruminoſi craſſitie &c. Curatur faciliùs eâ quo cauſam internam agnoſcit, major quoque ſpes eſt curationis, ſi auris externa, quam ſi interna, vel media auris afficiatur. Deniquè inter cauſas etiam internas aliæ aliis ſunt vehementiores, ſic ulcus, vel abſceſſus in internâ, vel mediâ aure latitans difficiliùs curatur quam Tympani laxitas præternaturalis, quæ ab exoſtoſi oritur, vel lymphæ vitio à ſyphillitide contracto, adhibitâ hidrargiroſi diſcutitur.

CURATIO.

Varianda ſurditatis therapeia tùm pro varietate cauſarum à quibus pendet, tùm pro variâ ſede cauſæ morbificæ, atque idcircò attendat Medicus ad ea quæ ſurditatem præceſſeruut, ægrum interroget ut probè morbi cauſam detegat, quâ ſemel cognitâ, vel malum immedicabile pronunciare, vel debita poſſit afferre præſidia, quibus vel ægritudo perſanetur, vel ſaltèm ejus progreſſus præcaveatur.

1°. Itàque ſi interna vel media auris afficiatur ſola proſunt interna medicamina quæ cauſis variis debellandis conveniant, at verò externâ aure affectâ topica feliciter quandoquè adhibentur.

2°. Si ſurditas à vitio cerebri pendeat & illius ſimptoma ſit, cerebro occurrendum eſt remediis proponendis dum de internis capitis affectibus.

3°. ſi vitioſa ſit aurium conformatio & ſur-

ditas congenita, vel hæreditaria, nullis opus est medicamentis in quibus præscribendis oleum, & operam perderes.

4°. Si luem veneream in causâ esse, & surditatem vel ab exostosibus, vel à vitiosâ lymphæ crassitie oriri suspicio sit, corpus frictionibus mercurialibus solitâ methodo inungendum.

5°. Si à tumore quopiam duro & frigido surditas producatur, tum topicis resolvendus erit tumor, si externus sit, tum internis remediis nempè aperientibus, & sanguinem dividentibus prava humorum diathesis corrigenda.

6°. Sin autem tumor calidus sit & inflammatorius præscribenda erunt ea omnia quæ dolori aurium de quibus infrà dicturi sumus.

7°. Si ab effluente pure vel intrà aurem latente fiat surditas proderunt ea quæ infrà quoquè de aurium ulcere & absessu proponemus.

8°. Si ruptura membranæ tympani, vel ejusdem defectus surditatis causa sit malum immedicabile est, quia vix ac ne vix quidem sanari possunt, nec quidpiam apponi quod hujus membranæ vicem suppleat, & tympani obstructionem præcaveat; verùm si laxata tantum sit, præmissâ diætâ exsiccante, & internâ therapeiâ topicis resolventibus utendum est, qualia sunt imprimis balzamum sulphuris cum spiritu vini mixtum, vel tinctura myrrhæ quorum guttæ aliquot vel auribus instillandæ, vel imbibendæ gossipio, quod dein in alvearii cavum immitti debet.

9°. Surditas à nervorum acousticorum à paralysi topica nulla, sed eamdem prorsùs exigit

exigit curandi methodum, ac cæteræ paralyseos species, proindèque repetita cathartica, vel cathartica emetica, juſcula aperientia, ptiſanæ ex plantis cephalicis, juſcula viperina, opiatæ chalibeatæ, aquæ thermales, ptiſana ſudorifica & exſiccans, aliaque hujus generis mirè competunt.

10°. Si ſurditas oriatur ab obſtructionibus alvearii, videndum ſtatìm quænam ſit cauſa obſtruens, nàm ſi quid immiſſum fuerit in aurem, arte quàm primùm fieri poteſt eximendum eſt, nempè vel auriſcalpio, vel ſuctione, vel forcipe; ſi inſecta in aure irrepſerint ea vel extrorsùm allicienda ſunt dulcibus, aliiſque quibus oblectantur, vel enecanda ingratis, ſeu acribus & amaris; ſi aqua illapſa fuerit, æger inclinato capite ſuprà aurem affectam aliquandiù decumbat ut illa pondere, & fluiditatis motu excludatur, viâ ex hoc ſitu procliviori facta. Si denique obſtruatur alvearium à nimiâ ceruminoſi humoris viſciditate, ſubindè tergenda auris cavitas ſpecillo auriculario, ne viſcidus ille humor diuturniori morâ adhuc craſſior & viſcidior evadat, imò potiùs emollientibus & diluentibus topicis in aurem inductis attenuandus, nempè lacte muliebri, aquis thermalibus, aquâ fraxini &c. Ac tandèm ſi adſint ſigna craſſæ ſanguinis conſtitutionis, internis medicamentis ad ſanguinem dividendum idoneis uti expedit.

Verùm cùm omnis ferè ſurditas humorum hærentiam, atquè collectionem in vaſis aurium ſupponat, ſequitur in quâcumque ſurditatis ſpecie habendam eſſe rationem ſtatus ſanguinis, ægrorum temperamenti, ſimpto-

M

matum, & causæ morbificæ, nàm.

1°. Si adsit Plethora, si febris accendatur; si temperies ægri calida sit, si urgeat dolor intensus qui sanguinis hærentiam, aut inflammationem significat venam secare oportet semel aut pluries pro rei exigentiâ, ut indè depletis vasis non modò liberior reddatur cruoris circuitus, sed etiam cætera medicamenta deinceps adhibenda feliciùs succedant, æstus humorum victu refrigeranti & diluentibus attemperandus, dolor narcoticis compescendus, imò si ad exteriora vergeat, cataplasmata anodina, & emollentia conveniunt, ut cataplasmata de micâ panis, vel ex pulpâ radiorum altheæ & cililiorum, oleo liliorum &c. oleum amigdalarum dulcium vel seminum papaveris expressione eductum & similia quæ meatui auditorio laxando paria sunt, deindè mitigato dolore purgantia lenia præscribantur, & causa surditatem antecedens removeetur.

2°. Secùs verò si æger temperamenti frigidi sit, & pituitosi, si nullum dolorem sentiat, ac tandem si causa morbi frigida sit, qualis plerumque observarur præsertim in iis qui fluxionibus obnoxii sunt, tunc omissâ venæ sectione purganiia sæpè repetita prosunt tum ad vasa deplenda ut jàm suprà dictum est, tum ut derivatione ad alias partes factâ humores minùs confluant ad aures easque minùs oppleant, tùm demùm ut saburra primarum viarum quæ morbum fovere potest, foras everratur.

Purgato corpore ad aperientia confugiendum est quæ nativam sanguini fluxitatem restituendo, valent crasim humorum vitiatam corrigere, & impedimenta aurium reserare,

hic autem ea recensere supervacaneum est.

Victus ratio quæ in priori casu debet esse refrigerans & diluens, nunc instituatur calefaciens, attenuans, & exsiccans: abstinendum sedulò à cibis crassis, & coctu dificilibus; vitetur ac frigidus, ventus imprimis pluviosus, adeòque aures adversùs aëris injurias muniantur.

Quoniam verò surditatem quandòqne per se & absque remediis brevi evanescere certum est, sponte motâ peculiari aliquâ evacuatione, idcircò practici naturæ documentis edocti sternatutoria, masticatoria, & cauteria, nec non vesicetori summoperè commendant quatenus evacuant magnam seri quantitatem: cæteris autem paribus masticatoria, dum pendet surditas à tubæ custacianæ vitio, quia tum os validè irritando, & simpathicum spiritum fluxum promovendo: tum verò partibus suis acribus summè volatilibus textum humorum in hâc tubâ hærentium penetrando eos concidere, tumoresque indè enatos discutere apta sunt.

Aquæ thermales quibus caput irrigatur maximè proficuæ sunt, iis non modò resolvuntur tumores externi si qui sint, & sanguis per exteriora capitis circulans fluxilior redditur, sed præterea insensibilis transpiratio juvatur, quæ sæpè suppressa fluxiones varias & præsertim aurium inducere potis est ut desidiosis evenit, qui depectendis capillis parum solliciti sordidum habent capillilium, & furfuribus squalidum. interim tamen eas surditati nocere experientia docet, nimirùm si illa sit inveterata, si à causâ calidâ dependeat, & præcipuè si ægri post factam capitis lotio-

nem frigido aëri sese imprudentes exponat.

Topica quod spectat ea nulliùs ferè momenti sunt, quandò surditas ab auris internæ vitio producitur, verùm ubi vitiatur auris externa, non negligenda, plurima autem inferri solent inter quæ præcipua sunt olea varia amygdalarum dulcium, amararum, nucleorum cerasorum, persicorum, rutæ, salviæ, majoranæ, roris marini, baccarum lauri, nardi, cinnamomi, caryophillorum, & fella variorum animalium, perdicum, tauri, leporis &c. moschum sanguis lupi junioris, succus hæderæ, veratrum album in spiritu vini infusum, ova [ità asserit ZECHIUS citante RIVERIO, formicarum, castoreum, & similia, item decocta herbarum rutæ, salviæ, lavendulæ, pulegii, origani, majoranæ, &c. quæ omnia seorsim spectata topica, vel instillanda auribus, vel per infundibulum sub formâ vaporis excipienda sunt, vel spongia aut gossipio iis imbuto in alvearium immittenda.

Triplex autem in topicorum medicamentorum usu cautio adhibenda est. 1°. Scilicèt ut quidquid in aurem infunditur semper antè tepefiat, ne frigidate suâ cerumen inspissando alvearium obstruat. 2o. Ut subindè aures abstergantur ne oleosæ topicorum partes alvearii parietibus tenaciter inhærendo ejus viam occludant, & surditatem augeant, quem in finem paucâ quantitate immittenda sunt, imò ipsis spirituosa admiscenda quorum partes tenuissimæ sunt minùs tenaces, & altiùs penetrant. 3°. Ut aure topico repletæ gossipium muschatum superaddatur, quod topicum inclusum intùs contineat.

ARTICULUS II.

De Sonitu Aurium

PEr ſonitum aurium vulgò intelligitur moleſtæ & importunæ ſoni alicujus ſenſatio abſque ullâ objectorum ſonorum impreſſione auribus illatæ, Græcis echos, Latinis verò ſonitas, ſibilus tinnitus aurium, vel à quibuſdam abauditio vocari ſolet.

DIFFERENTIÆ.

Triplex autem afferri poteſt ſonitus aurium differentia à partibus affectis, ſonitus duratione, & percepti ſoni diverſitate repetenda.

1°. A parte affectâ quandoque enim tinnitus aurium prægreſſum aliquem morbum conſequitur puta febrem cephalalgiam, hemorragiam, quandòque verò à ſolo auris vitio producitur prior ſimptomaticus eſt, poſterior idiopathicus.

2°. A continuitatis duratione alius eſt continuus, alius intermittens, interdum enim per dies aliquot, imò per menſes & annos continentes durat, interdùm verò ſubitò oritur, & ſubitò ceſſat, & ſubindè per intervalla recurrit.

3°. Denique à percepto ſono nam prout excitatus inrrà aurem ſonus, nunc defluentis aquæ ſuſurrum refert, nunc murmurantis maris fremitum, nunc catapultæ, tympani,

aut collebentis domus fragorem, nunc acutum tintinabuli ſonum, nunc venti reboantis ſibilum, ſonitus, ſtrepitus, ſibilus, vel tinnitus aurium appellari poteſt.

CAUSÆ.

Conſtat ex notæ auditus ſenſationis naturâ, motum vibratorium aëris externi à corpore aliquo ſonoro emiſſi ideò præcisè ſonos in animâ excitare, quod nervos acouſticos per labirintheos aurium plexus quatiat, & conſequente ſpiritus aëreos in cerebrnm repellat, quorum nixui, & renixui ſenſationes deberi demonſtravimus diſſertatione in lucem editâ de ſenſationibus externis, ad hunc autem nixum & renixum ſpirituum quatuor potiſſimum deſiderari certum eſt in auditus ſenſatione nimirùm 1o. ut radii ſonori in tympani membranam ſufficienti vi impingant, eamque percutiendo flectant; 2°. Ut flexa membrana tympani aërem internum in ejus cavo reconditum commoveat, ſimilemque ipſi motum vibratorium impertiat. 3°. Ut ſuſceptus aëris tympani motus ad innatum labirinthi ſpiritum tranſmittatur. 4°. Ut motio ab aëre labyrintheo nervis auditoriis impreſſa ad cerebri fibras propagetur ſpirituum refluxu ſuperatâ influentium contranitentiâ. Sonitum itàque aurium vel ex quatuor illis cauſis, vel ex harum alter-utrà deducendum evidens eſt.

Quoniam verò morboſus aurium ſonitus fit independenter ab ullâ objectorum ſonorum impreſſione [aures enim intrà ſe ipſas ſonant, neque exauditum ab ægsis ſonum cæteri aſtantium percipiunt] planum eſt radios ſono-

ros ab objectis emissos morboso sonitui excitando nullatenùs concurrere, superest ergò ut statuamus vel causam aliquam latere in auribus, quæ motus vibratorii vicem suppleat, & à quâ connatus tympani & labyrinthi aër commoveatur, vel succuti à causâ aliquâ pariter intùs latente nervos acousticos in cerebro pari vehementiâ quâ succuterentur si objecta sonora aures ferirent.

Nihil autem potest commovere aërem in tympano, labyrintho, aut in utroque conclusum, vel nervos acousticos succutere in cerebro præter vehementiorem solito oscillatorium motum arteriarum quibus constat membrana tympani, periosteum tympani cavitatem & ossicula obducens, membranæ vestibulum, canales semicirculares, & cochleam interius obvestiens, ac denique nervi ipsimet auditorii, nam 1°. Ut cumque inclusus aër motu fluiditatis continuò agitatus, motus ille excitando sono non sufficit, alioquin continuus esset aurium sonitus neque 2°. Pus vel sanies effervescentiâ suâ ut nonnullis placuit, id præstare possunt, quandoquidem aures obturando, vel nervos comprimendo surditatem potiùs inferrent. 3°. denique neque à vaporibus, aut flatibus in aure genitis, vel à diversis partibus ad aurem transmissis hæc aëris commotio, nervorumvè succussio oriri potest, ut antiquioribus visum est, cum nec vapores nec flatus in auribus generari, nec ab stomacho, liene, hepate, cerebro, aliisque visceribus sursùm, deorsùm ad aures transferri nequaqnam posse antopsiâ anatomicâ demonstretur: igitur concludendum soli validiori arteriarum oscillationi ti-

buendam esse illam aëris aut nervorum acousticorum succussionem comparem succussioni illi quæ fieret ab impingentibus radiis sonoris, proindèque haud absimili planè modò fieri morbosum aurium sonitum quo objectorum nutantium repræsentatio in vertigine, quam fortiori arteriarum retinæ vibrationi adscribendam esse docet hujus affectus æthiologia. Quidquid itàque poterit validiorem ar-arteriarum prædictarum partium pulsatione producere, poterit id omne innatum aërem impetendo, vel nervos acousticos quatiendo morbosum aurium sonitum ciere, absque ullâ sonorum objectorum impressione auribus illatâ.

Verùm arteriæ validiùs solitò pulsare nequeunt, nisi sanguine plus æquo infarciantur, quod fit duplici de causâ, tùm auctâ sanguinis quantitatè quæ in prædictas arterias irruit, tùm præpeditò motu sanguinis qui ab iisdem arteriis regreditur.

Augetur copia sanguinis ad prædictas partes impulsi 1°. si ipse uberiùs affluat ad partes superiores, sic se res habet in vomitu vehementi ob violentam musculorum contractionem, quâ expressus cruor ad interiora truditur, præsertim verò ad caput, vel ex rubore faciei vomitus tempore manifestum fit.

2°. Si sanguinisvia per collaterales vicinasque arterias præclusa sit, sic inflammatis partibus aurium vicinis, nempè tonsillis, parotidibus, faucibus &c. sanguis ad aures divertitur, easque pariter inflammatione corripit. Sic quoque constrictis faucibus in affectu histerico sanguis ad aures derivatur: sic demùm infarcto in epilepsiâ cerebro sanguis

per cæteros collaterares carotidum ramos ad aures impellitur, vel nervos ipsosmet acousticos in cerebro opplet, atque hinc est quod redeuntes ad se epileptici tinnitum in auribus percipiant, aut vice versa, cur sæpè idem aurium tinnitus epilepsiam antecedat, & præsagiat.

3°. Si supressa fuerit quædam evacuatio notabilis, tunc enim redundans humor sanguinis ad caput delati copiam non parum auget; undè oppletæ arteriæ membranæ tympani, aut aliarum enumeratorum auris partium fortiter pulsare debent. Si retentâ insensibili transpiratione ex frigore præpostere suscepto, quandoque tinnitum aurium supervenire compertum est.

Regressus sanguinis ab auribus inhibetur multiplici ratione, videlicet, si venæ per quas ille revehitur obstruantur à sanguine quem ipsæ continent crassiori, & viscidiori, ut in affectione hypocondriacâ struimus &c. vel nimium & inæqualiter æstuante, ut in febrium paroximis, aut exacerbationibus.

Sanguinem spissiorem reddunt & crassiorem ingluvies acida, aeris externi frigiditas, sommolentia, vita deses & sedentaria, mæror, viru venereum, strumosum, aliaque.

Eumdem verò sanguinem fervefaciunt cibi acres, purgantia mochlica, aër æstiuns & calidior, immoderata exercicia, vigiliæ diù protractæ, supressa aliqua evacuatio, vehementia animi pathemata, ut ira gaudium, & similia ex sex rebus non naturalibus deprompta. Hæc ergò omnia quatenus obstructioni arteriarum ansam præbent, atque fortiores earum pulsationes promovent pro causis tinnitus remotis habenda sunt.

Huic vênarum infarctui plurimum conferunt nativa vel adventitia partium laxitas, vel angustia, sic ii quibus prava aurium dispositio congenita est vel hæreditaria præ cœteris tinnitu aurium affliciuntur. Sic pariter convalescentes, vel hæmorrogiam passi quibus inanita vasa sunt, & vires exhaustæ dùm surgunt è lecto, & membra contrahant, sonitum percipiunt intra aures, quia laxata & angustata membrana tympani, cæcterarumque partium ad aures pertingentium vasa sanguifera ab irruente sanguine ingurgitantur.

2°. Comprimuntur à causis internis & externis, internæ sunt 1°. Tumores aurium calidi aut frigidi, sic sæpè tinnitus comes est aurium doloris qui ab inflammatione oritur, sic quoque obstructis in surditate & gravi auditu aurium lymphæ ductibus vasa sanguinea comprimuntur, & surditas cum tinnitu complicatur. 2°. Ulcera ex prægressâ inflammatione, vel abscessu rupto intrà aures enata quorum labia op callescunt, sic diuturniori puris per aures effluxu tinnitus aurium, ac tandem surditas succedit. 3°. Exostosis ossium auditus organi viru venereo inducta.

Inter causas externas compressionis recenseri debent ictus capitis vehemens, valida percussio circâ aures ex impuctâ alapâ, ingens aliquis fragor, qualis est tonitru, tormenti bellici &c. quæ quidem vehementi aeris allisu in membranam tympani eam ultrà tonum extendunt, & ità laxant, ut deinceps sanguis in illâ hæreat, & fortiores illiùs dilatationes ciear.

3°. Tandem venæ sanguini ab auribus revehendo dicatæ constringuntur convulsivâ fi-

brarum tendinearnm quibus multipliciter interſecantur criſpaturâ ortâ ex influxu aliquo ſpirituum ſympathico qualem advocant cauſæ irritantes ut materia purulenta, aut ſanioſa ex ulcere dimanans, inſecta in alvearium introducta tympani membranam fodicantia, humoris quo tympani & labyrinthi cavitas irrigatur acrimonia.

Quæ autem dicta ſunt hactenùs non debent intelligi de omni validiori arteriarum pulſatione, ſecus enim in omni febre in quâ arteriæ pulſant validius, tinnirent aures quod eſt præter experientiam, ſed tantùm de pulſatione illâ quæ ab infarctis arteriis pendet, & cujus ope ſublato inter vaſa ſanguinea & & nervea æquilibrio, hæc ab illis anguſtantur, proindeque ſuperatâ ſpirituum influentium reſiſtentiâ refluxus promovetur ad cerebrum: imò motus quem pulſantes arteriæ nervis auditoris imprimunt, tùm vehementiâ æqualis, tùm celeritate ſupponendus eſt motui quem radii ſonori ab objectis emiſſi iiſdem nervis communicant, od varios ſonos excitandos.

Præter cauſas jàm enumeratas duo tinnitum aurium advocare poterunt, nempè primùm motus acris in tympano recluſi adauctus, tùm deindè exquiſitior ſenſus, ſeu tenſio ſolito major organi auditorii abſque ullâ ſuppoſitâ vehementi arteriarum diletatione.

1o. Intendetur motus innatus acris ſi tuba euſtachiana obſtructa ſit, nullaque pateat via ad quam ille poſſit ſe recipere dùm ab oſcillationibus membranæ tympani, & perioſtei arteriis ſuccutitur. Tunc enim vis ſucuſſi aeris in tympano coerciti quæ tota mo-

veudo acri labyrintheo impenditur sufficiet ad pulsantes alicujus corporis sensationem excitandam, atquè hinc est quod multiplicatâ radiorum sonororum reflexione, proindèque adaucto eorum impetu bombum aliquem intrà aures percipiamus ut accidit quandò cochlea seu concava manus auri externæ admovetur.

2°. Similiter si organa ad auditum concurrentia magis tendantur, & exquisitiùs sentiant planum est sonori alicujus corporis sensum inducendum fore sine adauctâ arteriarum vibratione, quemadmodùm etenim partes inflammatæ à corporibus etiam leviter impingentibus dolorificè sentiunt, ità & quoquè membrana tympani, & nervi acoustici majori tensione prædita & inflammata, vel à moderato sono vehementer succutiuntur, undè sonus dolorificus futurus est, imò forsan à sola innati acris motione sufficiens fiet succussio si non ad auctum saltem, ad obscurum aliquem sonum intrà aures excitandum.

SIMPTOMATA.

1°. Ex jàm dictis evincitur sivè vasa sanguinea in tympani membranâ, sivè in aure mediâ, sivè in internâ aure, sivè demùm in nervorum auditoriorum progressu, vel origine affecta fuerint perindè esse ad sonitum efficiendum: nàmque ex pulsatione illâ arteriarum vehementiori idem sequitur spirituum motus in cerebro qualis contingeret ab emissis radiis sonoris ad aures allidentibus, undè pulsantis alicujus corporis perceptio nascitur.

2°. Sonitus non ad objecta externa sed ad aurem

aürem refertur, vel quia editus in aure ſonus diverſus eſt à ſono ab externis corporibus excitari ſolitò, vel quia corpora externa tunc temporis nullatenùs ſonare aliundè notùm eſt nempè cæterorum aſtantium relatu qui ſe talem ſonum non audire aſſeverant, undè non ſecùs ac vertiginoſi objectorum nutantium perceptioni non aſſentiuntur, ſed potiùs illius vitium corrigunt reflectendo objecta quæ nutantia apparent eſſe immota, ità & ſonitu laborantes cum probè ſciant nulla ex circumvicinis corporibus ſonum edere cauſam hujus perceptionis non ad objecta externa, ſed ad auditus organum refundunt vi reflexionis quâ rem ità eſſe judicant.

3°. Quoniam cauſa tinnitus aurium nùnc continuo præſens eſt; & continenter agit, nùnc vicibus interpolatis diſcutitur, & recurrit, ſequitur nùnc continuum fore tinnitum pro diversâ cauſæ naturâ ſic V. G. Fernelius cum ulcus ab inflammatione vel abſceſſu multo pure manavit, niſi id coaleſcat, perpetuum ſonitum, aut ſtrepitum relinquit, ob callorum ulceri ſupervenientium pertinaciam. Ex adverſo in febribus intermittentibus, vel exacerbantibus ſonitus Paroxiſmi aut exacerbationis tempore excitatus, ceſſante orgaſmo ceſſat, & deinceps recurrente recurrit quia in priori caſu perſtat obex in vaſis ſanguiferis: in poſteriori verò per intervalla diſcutitur, & generatur.

4°. Hæc arteriarum vibratio ut varia eſt, & aerem variè impellit, aut nervos acouſticos variè ſuccutit, ità & varios ſonitus edit, ſcilicèt proùt illæ arteriæ magis minùs-vè pulſant, celeriùs-vè, aut tardiùs innumeri pro-

pemodum ſonorum modi emergunt, qui ſequuntur diverſos pulſationum vehementiæ aut celeritatis gradus eorumque rationem compoſitam.

5°. Infarctus arteriarum nùnc levis eſt, & à causâ ſenſim agente dependet: nùnc verò notabilis & cauſam vim ſubitaneam inferentem agnoſcit. Si primùm ſonitus nullo dolore ſtipatur, quia nulla aut minima admodum fiet fibrillarum nervearum diſtractio. Si ſecundum aderit dolor quia vaſorum fibrillæ ità diſtrahentur à collecto ſanguine, ut immineat ſolutionis periculum, in quo doloris ratio ſita eſt, ille autem dolor erit pulſatorius; quoniam ſingulis cordis contractionibus ſeu arteriæ pulſibus ſanguis de novo, appellens novam infert vaſorum parietibus diſtractionem.

6°. Creſcente arteriarum infarctu, earumque expanſione, vel ipſæmet diſrumpuntur, vel ſanguis ad vaſa vicina collateralia derivans ea opplet, ac tandem perrumpit, quoquo modo res accidat, ſanguinem effundendum eſſe conſequens eſt, undè ſi ſedes morbi ſit in membranâ tympani ruptis illius vaſis ſanguiferis quâ parte alveario proſpiciunt, aurium hæmorragia ſubſequitur.

7°. Demùm cùm ſurditas & gravis auditus ut dictum eſt præcedente articulo, ut plurimùm oriantur à turbato ſanguinis per aures circuitu, planum eſt ſonitum aurium in quo idem circuitus præpeditur facilè in ſurditatem, vel auditus gravitatem degenerare, vel ex obſtructâ alvearii, tympani, aut labyrinthi cavitate ab effuſo ſanguine, vel ex laxiori factâ tympani membranâ, vel ex ner-

vorum acousticorum compressione, atque hinc est cur sonitus aurium surditatem præcedere soleat, eamque præsagiat.

DIAGNOSIS.

Sonitus aurium, ejusque species ex ægrorum quærelâ innotescunt. Causæ verò antecedentes conjecturis tantùm detegi possunt nempè.

1°. Sonitum à prævio aliarum partium vitio pendere suspicandum ex præcedentibus dolore & gravitate, tonsillarum, vel parotidum inflammatione, vel quopiam alio partium ab auribus dissitarum vel ipsis circumvicinarum affectu quo cessante sonitus cessat, quo redeunte recrudescit, atque tunc simptomaticum esse tinnitum, ac per consensum fieri obvium est.

2°. Idiopathicum verò sonitum & à solo auris vitio ortum indicant tùm aliorum morborum absentia, tùm sonitus continuitas.

3°. Vitium hæreditarium esse dignoscitur ex eo quod parentes vel eo morbo, vel surditate affecti fuerint, quod quidem transmissam labem à parentibus in prolem abundè significat..

4°. A debilitate organi auditus, & laxitate membranæ tympani tinnitum oririri arguitur ex defectu virium, & prægressis causis membranam tympani laxantibus, putà aquâ in alvearium introductâ, vehementi fragore, percussione validâ, hæmorragiâ. &c.

5°. Causam tinnitus antecedentem esse frigidam seu quod idem est, humorem lymphaticum tinnitui occasionem præbuisse con-

jicitur ex doloris abſentiâ, frigidâ temperie, ægrorum ſolatio, ex admotis medicamentis calidis, ac tandem ex eo quod ingentes ferat ſonos ſine ullo incommodo.

6°. Ratione oppoſitâ tinnitum à ſolo ſanguine, ſeu à causâ calidâ produci declarant febris præſentia temperamentum ægri calidum, caloris ſenſus in capite; cauſæ prægreſſæ calefacientes, felix topicorum, frigidorum ſucceſſus, ac denique moleſtia quâ ager vel leviſſimo ſono afficitur.

7°. Tandèm inflammatio aurium, ulcus, abſceſſus, vel exoſtoſis propriis horum morborum ſignis eruuntur.

PROGNOSIS.

Tinnitus in genere per ſe nihil affert periculi, imò nequè auditionem lædit, moleſtus tamèn omninò morbus eſt, & incommodus ob inſolitum illum ſonum quem ægri intrà aures percipiunt, ſimptomaticus eamdem habet, ac morbus cujus eſt ſimptoma, prognoſim.

Quod idiopathicum ſpectat 1°. Continuus curatu difficilior eſt intermittente quia cauſam altiùs radicatam ſupponit. 2°. Inveteratus recenti non ità cedit remediis, imò auctâ cauſæ morbificæ vehementiâ & vaſorum infarctu ſæpè in ſurditatem abit. 3°. excitatus ingens intrà aurem ſonitus qualis eſt tormenti bellici, aut collabentis domus majorem in aure labem, majoremque vaſorum extenſionem ſignificat quam ille in quo levis admodum ſonus percipitur defluentis lymphæ murmuri ſimilis. 4°. Faciliùs diſcutitur cæ-

teris paribus dùm à calidâ quam dùm à frigidâ causâ dependet, faciliùs enim eſt attemperare ſanguinis æſtum, quam aurium obſtructiones reſerare. 5°. Demùm tinnitus à causâ quâpiam externâ & manifeſtâ oriundus, eâ ſublatâ tollitur, ſecùs verò quandò à causâ intùs latente producitur, vel fovetur.

C U R A T I O.

Varia pro cauſarum varietate eſt inſtituenda curandi methodus.

1°. In ſympathico tinuitu qui ab aure ſecundario affectâ producitur remedia competunt cœteris affectibus à quibus pendet, communia.

Idio pathicus ſpecificis variis auxiliis oppugnandus eſt, ac 1°. Quidem ſi fiat à causâ externâ, illa quam primùm fieri poterit removeatur, quo facto ſonitum ut plurimùm ceſſare abſque medicaminum operâ certum eſt.

20. Si ab aurium ulcere aures intromiſſis topicis abſtergendæ, & demulcenda ſanguinis acrimonia remediis infrà proponendis, dùm de aurium ulceris curatione.

3°. Si a debilitate virium ortum ducat, reſtaurantia, & vires reſocillantia præſcribenda ſunt, qualia convaleſcentibus proſunt ſpirituoſa nempè, cardiaca, & nutrientia.

4°. Si ab exoſtoſi oſſium organa auditus conſtituentium tinnitus excitetur ſola hydrargiroſis efficax medicina eſt, & certum curationis ſpem pollicetur.

5°. Si causa tinnitus frigida ſit, quoniam illa ſupponit obſtructiones in vaſis aurium

lymphaticis præmiſſâ diætâ attenuante, & calefaciente adhibeantur interiùs aperientia, & lympham dividentia, eâque admoveantur diſcutientia topica qualia in ſurditate, & gravi auditu à ſimili causâ productis prodeſſe diximus articulo præcedenti, ſpirituoſa nempè & reſolventia, ut infuſio rutæ in ſpiritu vini alkooliſato, pulpa colocyntydis in vino cocta, olea chamæmeli, caſtorei, tinctura myrrhæ, decocta plantarum aromaticarum reſolventium rutæ, origani, centaurei minoris, roris marini, calaminthi, &c. quæ inſtillando ſunt auribus, dein goſſipio moſchato ut in ſurditatis curatione dictum eſt obturandis.

6°. Idem dicendum ſi cauſa calida ſit atque eâdem therapeiâ utendum eſt ac dùm ſurditas à ſanguine æſtuante originem ducit, ſcilicet præmiſſis venæ ſectione, diætâ refrigerante, ac diluente, & purgantibus mitioribus in uſum vocanda ſunt demulcentia, refrigerantia, & ſanguinem temperantia, nec-non topica refrigerantia, & laxantia, præſertim verò oleum amigdalarum dulcium, decoctum violarum, nympheæ, altheæ, ſuccus lactucæ, poſtulacæ, imò juxtà *Riverii* exercitatiſſimi placitum ſuccus hyoſciami, vel papaveris albi proficinis eſt, hujus enim ope fermentativus humorum motus compeſcitur, & dolor aurium ſæpè tinnitus comes mitigatur in quo ultimo caſu, cæteris præſtat opium diſſolutum, cuntè tamen in aures immittendum, ne ait *Riverius* aures hebetentur.

ARTICULUS III.

De dolore Aurium.

QUoniam dolor in genere nihil aliud eſt quàm triſtis ac moleſta ſenſatio orta ex vehementi ſpirituum refluxu ad cerebrum cum imminenti partium dolentium ſolutionis periculo, quæ ad partem aliquam extrâ cerebrum conſtitutam referri ſolet ſequitur ſtatim definiendum eſſe aurium dolorem triſtem ac moleſtam animæ ſenſationem, quæ ad aures refertur, Græcò Othalagia nuncupatur.

DIFFERENTIÆ.

Variæ ac multiplices vulgò ſtatuuntur genericæ doloris differentiæ pro variâ ejus causâ, nempè alius dicitur dolor pungitivus, alius gravativus, divulſivus, pulſatorius, deurens, &c. prout ſenſationem dolorificam ſequitur judicium rei pungentis, gravantis, divillentis, pulſantis, deurentis, &c. quod cum de ſingulis partibus dolore affectis verùm ſit patet totuplicia ea diſtincta admitti poſſe aurium doloris genera.

Nunc aurium externus dolor dicitur, nunc verò internus, prout partes internas vel externas occupat.

CAUSÆ.

In eruendis doloris aurium cauſis de partis

auris cartilagineæ dolore, cujus theoria ad chirurgiam pertinet, parum solliciti sumus, atque solùm hic aurium dolorem explicare satagimus qui ab alvearii, vel tympani, vel labyrinthi vitio procedit. Verùm ex illis partibus, illæ solummodò dolori subjiciuntur quæ naturâ suâ membraneæ, & sensibiles sunt, nempè tunicæ quæ earum cavitates intùs convestiunt. In his igitur collocanda est doloris aurium sedes, proindequè investigandùm à quibus causis prædictæ tunicæ doloris sensum experiuntur.

In definitione autem doloris jàmjàm superiùs traditâ hunc oriri innuimus à validiori quàm par est spirituum refluxu ad cerebrum, quo anima de dolorificâ impressione commonefacta impendentem metuit continui solutionem, & eâ ratione constristatur, rursus igitur inquirendæ sunt causæ quibus talis refluxus ab auribus promovetur.

Refluxum promovet vehementiorem ab auribus ad cerebrum major corporum omnium sensiferorum actio impressa nervis, quibus aurium tunicæ suprà enumeratæ contexuntur, atque motiorem hanc imprimunt causæ variæ tùm externæ tùm internæ, inter externas recensenda sunt ventus frigidior, balneum aquæ frigidæ, vel immersio in aquam frigidam, ictus, casus, compressio valida, immissa fortè in aures, vel illapsa corpora externa, dura, scindentia, acuta, &c. Internæ verò causæ sunt ea omnia quæ sanguinis hærentiæ & collectioni ansam præbere possunt quibus brevitatis ergò super sedere visum est, ut potè quæ ab undè fuerunt exposita articulo superiore de tinnitu,

talia autem ſunt interni aurium, vel partium circumvicinarum, parotidum, V. G. tumores inflammatorii, abſceſſus, exulceratio, tubæ euſtachianæ obſtructio, ingens ſanguinis fervor, aliaque vitia quibus ſanguis vel uberius ad aures irruit, vel ab iiſdem ægrè regreditur.

Mittimus cauſas antecedentes cæteras doloris aurium quæ ejuſdem generis ſunt ac cauſæ quæ tinnitum pariunt. Hoc unico diſcrimine quod in tinnitu remiſſius, in hoc verò morbo fortiùs agant & circuitum ſanguinis magis præpediant.

SIMPTOMATA.

1°. Ex jam dictis patet ratio doloris verùm id ſemper ſupponendum eſt hærentiam nimirùm humorum qui dolorem pariunt, non modò validam ſed ſubitaneam vim inferre, quá impendentis ſolutionis periculi idea excitatur atque hinc ſequitur. 1°. Dolorem omnem à causâ internâ inductum à ſtagnante fieri ſanguine. 2°. Erraſſe turpiter veteres, & & cum his recentiores nonnullos qui factam continui ſolutionem velut cauſam doloris proximam agnoſcunt. Nam hæc opinio hoc unico argumento refellenda eſt, quod acerbiſſimus dolor ex punctura tendinis excitatus, licet auctâ ſolutione continui, nimirum facta ejuſdem tendinis per tranſverſim ſectione evaneſcat.

2°. Pro variâ collecti ſanguinis quantitate, major vel minor aderit dolor, ſi enim 1°. Sanguis paucâ copiâ hæreat minori illatâ fibrillis nerveis diſtractione, minor & levis do-

lor, si è contrà. 2°. Abundanter collectus easdem fibras nerveas summoperè distrahat intolerabilis indè ac vehemens dolor exsurget, facto in priori casu levissimo spirituum refluxu in posteriori verò vehementiori.

3°. Diversâ naturâ à diverso causæ dolorificæ agendi modo pendet, nàm si illa in unico dumtaxat fibrillæ nerveæ puncto sensum punctionis inferet, ut contingit quando aliquod instrumentum acutum in carnes adigitur, vel dum congesti humores in unicam dumtaxat obstructorum vasorum partem agunt. Dolor acutus seu punctorius, si corpus externum dolorificum ac grave pondere suo premat, vel si humores nimioperè cumulati partem aggravando refluxum promoveant, gravativus. Si sanguis stagnans præternaturalis acrimoniæ particeps sit, & calorem summum partibus affectis impertiat, acris ac deurens. Deniquè si arteriæ majores notabiliter infarciantur ità ut singulis cordis impulsibus aucta hærentis sanguinis copia obicem trajicere nequeat, dilatatis prætermodum quâlibèt cordis contractione, arteriis, pulsantis alicujus corporis idea exhibetur, & pulsatorius dolor futurus est.

4°. Caloris sensus quo gaudent naturaliter corporis humani partes à duplici motu oritur, nempè tum à motu solidorum oscillatorio, tum ab effervescentiâ liquidorum, sed in dolore aurium, vasa earumdem sanguifera copiosiori sanguine turgida oscillant validiùs, & sanguis in eis aggestus vehementiùs effervescit, ergò ægri dolore aurium affecti molestum caloris sensum intrâ aures percipient.

5°. In summo ac diuturno aurium dolore,

ſæpè febris accenditur quod tùm à ſiſtematis nervoſi concuſſione quâ ſanguis ad cor uberiùs impellitur, tum à præpedito ſanguinis circuitu deducendum venit.

6°. Inflammatis auribus ſanguis ad vaſa collateralia divertitur, proindèque ad faciem copioſiùs appellens, vaſa ejus ſuperficiaria expandit, hinc rubicundus faciei color, præſertim quandò impedimentum in auribus genitum notabile eſt.

7°. Ingraveſcente inflammatione rupta vaſa ſanguifera ſanguinem contentum elabi ſinunt in partium ſubſtantiam. Atque hæc inflammatio ſyſtrophica ſolet appellari, mox dein rupta vaſa in ſe retracta, atque conſtricta ſanguinem ab exitu cohibent, & aliquando retinent, atque tandèm hic ſanguis morans, & mota vitali defraudatus à vicinis ac circumjacentibus arteriis validiùs oſcillantibus in liquamen purulentum convertitur cum extremis vaſorum ruptorum laciniis intimè permiſcendum, liquamen illud putridum nunc pus ſincerum, nunc verò ſaniem conſtituit, atque ſi interna alvearii ſuperficies, aut membrana tympani doloris ſedes ſit, vel ſi ruptâ hâccè membranâ ſanguis aut pus in tympano collectum in alvearium vim ſibi faciat, nunc ſanguis per aures, nunc purulenta materies, nunc ſanioſa dilabetur.

8°. Demùm auctæ doloris & infarctus aurium vehementiâ ſanguis ad cerebrum uberius devectus, diverſa in hoc viſcere impedimenta pariturus eſt quibus vel diſtractis vaſis vel ultrà to ium deductis, vel tenſis prætermodum fioris cerebri, vel obrutâ totâ hujus mole, vel deniquè eâdem inæqualiter

compressâ, cephalalgia, vel delirium, vel sopor, vel convulsiones, vel motus convulsivi supervenient.

DIAGNOSIS.

Dolor aurium, & varia ejus natura solâ ægrorum quærelâ dignoscitur.

Si tumor exterius appareat, si dolor topicis cedat medicamentis, vel compressione exasperetur, aut leniatur aurium dolorem externum esse; secùs verò si nullus conspiciatur tumor, si nullum illata compressio externa ægris levamen, aut acerbitatem doloris afferat, tandem si topica remedia nihil juvent, dolorem internum esse, & à latente intùs vitio sobolescere indicatur.

Quod ad causas attinet, quoniam illæ multiplices esse possunt non ità patet earum diagnosis, interim tamèn eas sin minùs certis argumentis, saltèm conjecturis probabilibus eruere expedit, ut convenientia cuique præsidia adhibeantur.

Causam externam esse ex relatu ægri, & auris inspectione patefit, exploranda itàque auris, & videndum nùm immissa fuerint corpora quædam extranea, interrogandus quoque æger, vel ab illo sciscitandum an vulnus aliquod inflictum fuerit, aut facta contusio, an præcesserit ictus, casus, capitis in aquam frigidam immersio &c. Sin autem ægri nihil ex his præcessisse asseverent causam internam esse conjiciendum.

Dolorem aurium à causà frigidâ ortum exindè deduces quod dolor sit gravativus, ac medioeri calore stipetur quod calefacientia dolorem

lorem mitigent, frigida verò intendant, ac deniquè quod causæ refrigerantes prægressæ fuerint, ut cœli temperies frigida, frigus præposterè susceptum, aut alia similis calida verò causa signis oppositis indicatur. Nempè

1°. Præviâ causarum calefacientium actione, qualia sunt exercitia vehementiora, vigiliæ pertinaces &c. 2°. Dolore acuto cum adjuncto mordacis caloris sensu. 3°. Allato refrigerantium ope solatio.

Inflammationem aurium designant acutus dolor & pulsativus ingens calor, & rubedo intensa si tumor ad exteriora vergat, febris aliaque simptomata febrem concomitantia, qualia sunt deliria, convulsiones &c.

Deniquè vulnus ex sanguinis per aures effluvio, ulcus verò ex pure, & sanie dimanantibus innotescit.

PROGNOSIS.

Aurium dolor in genere morbus est gravis ac molestus præsertim si aurium interiora afficiantur quia auditum lædit, imò plerùmque duret, surditatem advocat. Hunc insuper periculosum experiuntur illi, quibus ob dolorem cerebrum compatitur, tunc enim febris, cephalalgia, delirium, sophos, spasmus, aliaque morbosa simptomata inferuntur periculi plena; externus interno, cœteris paribus faciliùs curatur, tum quia in illo externa remedia admoveri possunt, quæ sanguinem in partibus externis stagnantem resolvere possunt, neutiquàm verò reserare impedimenta in internâ aure genita, tum quia internus vitiatam supponit humorum crasim quæ curam reddit difficiorem.

Qui à materiâ frigidâ ortum ducit chronicus ac diuturnus, qui à causâ calidâ nempè ab inflammatione acutus & periculosior censendus est; in primo casu senes junioribus, in postremo verò juvenes senibus magis periclitari exindè est, quod sanguis in ætate juvenili magis quam in senili effervescat, & vasa senum minùs elastica sint & rigidiora quam juvenum vasa: deniquè si dolor aurium ab ulcere, abscessu, vel exostosi originem trahat, prognosim habet cum his morbis communem.

CURATIO.

Genericæ quæ in cæteris quibuslibèt doloribus ad implendæ sese offerunt indicationes, eædem in dolore aurium observandæ ea propter cohibendus est nimiùs ad partem dolentem appulsus, ut inflammatio, si quæ sit, tollatur, vel impendens præcavəatur. 2°. Laxanda pars affecta ut impressionibus dolorificis suscipiendis minùs comparata sit. 3°. Solvenda sunt impedimenta vasorum sanguiferorum quibus dolor originem suam attestatur. 4°. Demùm causæ antecedentis ratio habenda est.

Primæ indicationi satisfit diæta revellentibus, & evacuantibus diæta sit tenuis, vel mediocris pro doloris vehementiâ, hujus ope non modò minor chili copia gignitur, proindèque imminutâ quantitate humorum hi ad aures minùs confluunt; verùm etiam genitus chilus ritè coctus nullam sanguini labem infert. Revellentia & evacuantia sanguinem alio determinant, ejusque impetum ad aures retundunt, talia sunt cauteria, setacea, cu-

cucurbitulæ, venæ ſectiones, & cathartica.

Secunda indicatio laxare partem dolentem expedit tum internis tum externis medicamentis, externis ſi dolor externus ſit, nempè topicis, anodinis, emollientibus, imò & narcoticis interiùs aſſumptis quibus advocato ſopore vaſa defectu ſpirituum collabeſcunt.

Tertia indicatio vaſorum ſanguineorum obices reſerant topica reſolventia inſtillata auribus, & interna medicamina aperientia & ſanguinem dividentia.

Quarta tandèm indicatio pro cauſæ antecedentis diverſitate variat: undè non eadem in dolore aurium, ſed multiplex cura adhibenda eſt. Itaquè ſi illapſa fuerint in aurem externam, aut vi immiſſa corpora quædam extranea ut lapilli, ceraſorum nuclei, aliaque id genus ea omni operâ quamprimùm extrahenda ſuſpenſa, ſolertique manu, ne altiùs adigantur, ſi vermes aurem repleant, oleoſis & amaris execandi. Si tumor exteriùs promineat, debitâ methodo tractandus eſt juxtà Chirurgiæ leges, ſi aures ulcere aut abſceſſu laborent, therapeiâ utendum in ſequentibus proponendâ, ſi exoſtoſis dolorem pariat, inunctiones ex mercurio proderunt, uno verbo diverſis totidem cauſis doloriferis totidem præſtat diverſa auxilia opponere. Verùm cum cauſa doloris aurium frequentiſſima ſit inflammatio, eadem competit dolori aurium curatio quæ in ſequenti articulo proponetur.

ARTICULUS IV.

De inflammatione Aurium.

QUemadmodum cœteræ totiùs corporis partes ità & auditus organum nunc in partibus externis, nunc verò in internis dumtaxat inflammationem petitur cujus theoriam hic explanare supervacaneum foret. Quippè quæ ex jàm dictis de ophtalmiâ erui facilè potest, statuere satis sit inflammationem aurium esse calidum tumorem fluxione ortum intenso dolore & calore stipatum, imò & rubore si tumor externus sit, vel si ab internis aurium partibus ad externas prætendatur.

DIFFERENTIÆ.

Differentiæ hujus inflammationis desumendæ sunt vel ex illius sede, vel ex doloris vehementiâ, sub primo respectu, aurium inflammatio alia interna est, alia externa, hujus æthiologiam & curationem ad tractatum chirurgicum revocamus, sub altero respectu alia levis est inflammatio, alia gravis in priore mitescunt simptomata, in posteriore verò sæviunt.

CAUSÆ.

In triplici potissimùm parte aurium tumor earum inflammatorius excitari potest. 1o. nempè in alveario. 2o. In tympani membranâ, vel in tunicâ tympani cavum vestiente.

3°. Demùm in tunicâ quâ labyrinthus obducitur. Singulæ enim illæ partes membranaceæ plurimis vaſorum ſanguiferorum ſurculis irriguæ ſunt, neque poteſt cruor in illis hærere & congeri, quin ſimptomata adferat inflammationi eſſentialia nimirùm calorem, dolorem &c. ut patet ex traditâ ſuperiùs ophtalmiæ theoriâ; ſubitanea ergò ſanguinis mora atque collectio pro causâ inflammationis proximâ habenda eſt; ob ex verò pro causâ conjuncta, deniquè multiplices numerari poſſunt cauſæ remotæ & antecedentes obſtructio, compreſſio, & conſtrictio ductuum ſanguiferorum aurium, & ea quæcumque obſtruere, comprimere, atque conſtringere eadem vaſa poterunt, ut ſunt craſſities ſanguinis, vel nimia ejus rareſcentia, vicini tumores, vaſorum ſanguineorum debilitas, vel anguſtia, frigiditas aeris externi, contuſio, exulceratio &c.

SIMPTOMATA.

1°. Cum in omni inflammatione adſit neceſſario tumor, dolor, calor, & rubor, planum eſt inflammatas aures iiſdem ſymptomatis morboſis affici; verùm tamen cum partes affectæ intus latent, ſolus doloris & coloris ſenſus percipitur, dolor autem pro majori vel minori infarctu, vel pro diverſo modò quo ſanguis collectus vaſorum tunicas diſtrahit, vel major, vel minor eſt, vel diverſæ naturæ pungens, gravans, tenſivus, &c.

2°. Creſcente infarctu ſanguis ad vaſa vicina uberius divertens ea opplebit. Proindeque nihil mirum ſi quandoquè interna aurium inflammatio ad externas earumdem partes propagetur.

3°. Patet ex causis tinnitus articulo secundo allatis illius morbi causam esse validiorem solito arteriarum oscillationem, sed in inflammatione aurium vasa earum arteriosa debent ex obice fortiùs oscillare, ergò tinnitus individuus inflammationis comes futurus est.

4°. Inflammatæ aures à sanguine stagnante & effervescente nimium tenduntur quod fieri nequit quin vel levi de causâ dolorificè afficiantur, hinc ægri sonos perferre vix poterunt sinè aliquo doloris sensu.

5°. Si inflammatio aurium systrophica sit, seù quod idem est, si vasa aurium sanguine turgida aperiantur & sanguis extrà valetur: suppuratio fiet quæ abscessu aut ulcere stipabitur prout pus in vasis ruptis genitum, vel in cystyde continebitur, vel effundetur.

6°. Idem pus in cavitatibus aurium collectum & morâ inspissatum non modò obtundet objectorum sonorum impressiones, verùm etiam impediet quominus motus nervis acousticis imprimatur, undè surditas, vel auditus gravitas.

7°. Obstructis partibus à corde remotis præpediri & in ipso corde circuitum sanguini necesse est, hinc stimulus contractionis augetur, & frequentius cor contrahitur, obstructioni quoque cordis non parum confert dolor ingens partis inflammatæ, quo sistema nervorum concutitur, & sanguis vehementius ad cor urgetur ut patet ex febris theoriâ.

8°. Sævientè dolore vel augeri in summo gradu cordis infarctum necesse, undè cor præ nimiâ sanguinis stagnantis copiâ suis motibus edendis impar erit, vel spiritus ad fibras cordis sympathicè & affatim influentes ipsiùs

ſpaſmum inducent ; quoquomodò res ſit, ſincopem ad futuram eſſe vel leviter attendenti perſpicuum eſt. Ab eâdem causâ repeti debet extremorum frigiditas.

9°. Deniquè cum inflammatis auribus ſanguis per vaſa collateralia ad cerebrum irruat, validiores arteriarum fibris medullaribus circumjectarum pulſationes efficiet quibus ſpiritus animales ad ſeſe mutuò allidentes, ideas objectorum ab ſentium tanquam præſentium excitabunt, undè delirium. Eædem pulſationes arteriarum cerebri, ſi inæquales ſint, inæquales influxus parient liquidi ſpirituoſi, proindeque motus artuum ſpaſmodici orientur.

DIAGNOSIS.

Ex jàm allatis ſymptomatis inflammatio dignoſcitur nempè ex intenſo dolore, & colore, & ſuccedente partium externarum tumore, febre, delirio, ſincope &c. cæterum causæ remotæ & antecedentes ex iis quæ præceſſere ſatis facilè deduci poſſunt.

PROGNOSIS.

Inflàmmationem aurium duplici nomine periculoſam eſſe manifeſtum eſt 1°. Ratione ſui, quia ſymptomata quandoque gravia inducit. 2°. Ratione partis affectæ quæ intus latet quia convenientia remedia ipſi applicari commodè nequeunt.

Magis tamen vel minus periculoſa eſt. 1°. Pro varietate ſymptomatum, ſic ubi dolor lenis eſt, & febris abeſt, minus gravis eſt inflammatio, ubi verò dolor ingraveſcit, &

febris deurit, gravior : graviſſima deniquè ubi his adjunguntur delirium, convulſiones, ſincopè, extremorum frigiditas, &c.

2°. Juvenili ætate præfervida liquida fæto alicubi obice, præcipiti vi, ac vehementi ſolida impetunt, explicant, diſcindunt; ætate puerili molliora vaſa parvam offerunt liquidis ſtagnantibus, & effervescentibus reſiſtentiam, facilè cedunt, expanduntur, pariter & rumpuntur, hinc major utrobique inflammationis gradus, & pejora ſymptomata; ætate demùm ſenili tùm liquida moventur ſegnius, tùm rigidiora ſolida magis renituntur, undè lentior inflammationis progreſſus, & ſymptomata mitiora, ergò juvenes ac pueros, cœteris paribus, in majori verſari diſcrimine quam ſenes conſequens eſt.

3°. Si partes internæ aurium dumtaxat inflammatione afficiantur factâ veluti metaſtaſi ad cerebrum urgentius periculum imminet quam ſi inflammatio ad exteriora vergat, ſatius tamen eſt ſanguinem derivari ad externas partes quam ad internas, in quibus præcipuas animæ, & vitæ functiones multùm labefactat.

4°. tandem in inflammatione nunc hæret ſimpliciter ſanguis nunc per vaſa rupta effunditur, prior inflammatio ſimplici reſolutionis viæ curari poteſt; poſterior autem ſuppuratione ſemper ſtipatur, quam in partibus omnibus internis periculoſam eſſe conſtat ſpeciatim in aurium interioribus gravem omninò in ſubſequenti articulo planum fiet, ergò rurſus inflammatio aurium ſyſtrophica, phlogodea periculoſior futura eſt, nonnumquàm tamen internum aurium tumorem in ſuppura-

tum abire cùm bonis ægri rebus docet experientia, quia facta suppuratione dolor, cæteraquè simptomata compescuntur, interim oportet ut rupto abscessu pus exterius fluere possit & eliminari alioquin pejora mala accerseret.

CURATIO.

Inflammatio aurium eâdem methodo curanda est ac cœteri quicumque tumores inflammatorii ideoque.

1°. Præscriptâ diætâ, phlebotomia plus minusvè repetenda ex bracchio, pede, jugulo, pro vehementiâ doloris, cœterorumque symptomatum præcipuè verò febris in eumdem scopum cucurbitulæ scarificatæ admoveri solent, vel hirudines quibus magna sanguinis pars educitur, sicque factâ derivatione solvitur vasorum obstructio, id ità testante *Zacuti* luscitano ac tandem in hoc casu nullum prodesse arteriæ temporalis sectionem docet celeberrimus *Riverius*.

2ò. Removendæ sunt causæ externæ quæ huic occasionem dedere, atque æger in lecto continendus est, cubiculo benè clauso ne gravis aliquis strepitus tenerioribus auribus obstrepat, easque offendat.

3°. Æstus febrilis attemperetur julepis refrigerantibus, & anodinis, emulsionibus quibus narcotica adjicere oportet ad sedandum dolorem si urgeat.

4°. Alvinæ fæces enematis emollientibus & refrigerantibus ipso morbi initio evacuandæ, deindè mitigatâ morbi vehementiâ, & temperato sanguinis orgasmo cachochilia pri-

marum viarum eliminanda eſt lenioribus catharticis, aut mediocribus multâ aquâ dilutis quæ aliundè magnam ſeri quantitatem ad inteſtinales glandulas determinando vaſa aurium ab infarctu liberant.

5°. Vitioſa ſanguinis craſis corrigenda eſt ſi craſſa ſit remediis incidentibus & attenuantibus ut juſculis ex pullis, carne vitulinâ cremoribus variis orizæ, hordei, ſecalis, cæteriſque ſanguinem demulcentibus inter quæ lacticinia primas tenent.

Quod autem attinet ad externa remedia ſivè topica ſæviente dolore anodina, & laxantia adhibeantur qualia ſunt olea varia violarum, nympheæ, amigdalarum dulcium, ſeminum papaveris albi &c. iis imbuto goſſipio in alvearium immittenda, vel auribus inſtillanda, lac muliebre recens mulſum, ſuffumigia ex foliis ſolani, hyoſciami &c. Aſt verò renittente dolore olea leviter reſolventia competunt, videlicèt oleum chamamelinum, anethinum, laterinum, item aqua fraxini, aliaque benè multa.

Si tumor ad exteriora vergat admotis topicis tentanda ejus reſolutio, ſin minùs irrita fuerint topica reſolventia, maturantibus opus eſt quibus ſuppuratio promoveatur, nempè cataplaſma de mica panis, vel ex radicibus liliorum, oleo roſacco, foliis acetoſæ &c. quo facto pus educendum eſt, & vulnus abſtergendum ſequenti articulo proponendis medicamentis.

ARTICULUS V.

De ulcere Aurium.

QUando ruptis vulneratiſque aurium vaſis materies purulenta aut ſanioſa gignitur quæ per alvearium foras dimanat, tunc aures exulcerari dicuntur, undè ulcus aurium definiendum eſſe evidens eſt factum in vaſis aurium ſanguiferis continui ſolutionem quæ puris pro fluvio ſtipatur. 1°. Etenim vaſa ſanguifera aperienda ſunt, & rumpenda alioquin non poſſet generari pus. 2°. Debet effluere pus aut ſanies, ut ulcus diſtinguatur ab exundantibus ſero & lymphâ quæ liquida ab auribus profluunt ex ruptione lymphaticorum vel dilatatione ſimplici abſque inflammatione & dolore præcedentibus, vel ſecretoriorum laxitate.

DIFFERENTIÆ.

Ulceris aurium differentiæ repeti poſſunt vel ex ejus ſede, vel ex causâ à quâ producitur, vel deniquè ex propriâ ulceris naturâ.

1°. Ratione ſedis ulcus externum vel internum eſt, prout alvearium vel internæ aurium partes laborant.

2°. Ratione cauſæ aliud à rupto abſceſſu, aliud verò à prægreſſâ inflammatione originem ducit.

3°. Ratione ulceris & geniti puris naturæ multiplex ſtatui poteſt recens, inveteratum,

& ſuperficiarium, vel profundum, ſimplex ſanioſum, virulentum fiſtuloſum. &c.

CAUSÆ.

Ex jàm allatis differentiis patet ulcus aurium vel à rupto abſceſſu, vel à præviâ inflammatione ſoboleſcere, in priori caſu cuilibet manifeſtum eſt diſciſſâ cyſtyde in quâ pus anteà coercitum latebat, quâ datâ portâ faciliori, proindèque per alvearium ductum foras effluxurum. In ſecundo vero liquet ex notâ ulcerum theoriâ ſanguinem in vaſis ruptis morantem atque congeſtum à validiori vaſorum circumvicinorum integrorum, ac turgeſcentium diaſtole preſſum, quaſſatumque, deniquè cum extremis vaſorum ruptorum laciniis mixtum in liquamen purulentum faceſcere, ruptura igitur abſceſſus, vel prægreſſa inflammatio ſyſtrophica aurium pro duplici causâ ulceris earumdem proximâ habenda eſt.

1°. Rumpitur genitus in aure abſceſſus vel per ſe ſi extenuata paulatìm cyſtidis involucra ab irruente pure, vel erodente tandem ſolvantur, vel à causâ aliquâ externâ putà ictu, caſu, corpore quodam extraneo, rigido in aures adacto. &c.

2°. Inflammationem ſyſtrophicam promovebunt cauſæ articulo ſuperiori propoſitæ vehementer agentes, & vaſorum tunicas diſrumpentes, quas hic repetere inutile eſſet, ſed præſertìm vulnera inflicta ab inſtrumentis acutis, vicina oſſium caries, imò, & præternaturalis humorum quibus partes aurium membraneæ obliniuntur, congeſtio & acrimonia.

SIMPTOMATA.

SIMPTOMATA.

1°. Evidens est ex jàm dictis sivè ruptus abscessus fuerit, sivè prævia inflammatio in suppuratum versa sit, pus per aurium cavitatem diffluxurum, quod nùnc albicans erit legitimum, benè coctum, nùnc fœtidum, virulentum, saniosum pro breviori, aut diuturniori ejus morâ in auribus, pro diversâ sanguinis crasi, ac tandèm variâ ulceris profunditate.

2°. Quoniam in profundo aurium ulcere major quam in superficiario puris quantitas continetur patet in hoc parciorem, in illo verò copiosorem materiæ purulentæ effluxum futùrum esse.

3°. cum partium exulceratarum labia quæ suppurationem continuò patiuntur, inflammentur, vel saltèm phlogosi afficiantur, cum insuper in internis ulceribus quæ detergi commodè nequent pus diutiùs coercitum majorem acredinem contrahat, & vasa ulcerum labiis intertexta mole suâ premat difficiliorem sanguinis circuitum magis ac magis efficiet, sequitur distendenda fore, & distrahenda ab hærente sanguine, vel à pure erodente lancinanda, ac multipliciter divellenda ulcerum labia, undè aurium dolor major, minor, pungens, lancinans, pruriginosus &c. pro diversâ puris acrimoniâ, varioque inflammationis gradu, pruritum quoquè aurium oriri probabile est ab alvearii tunicæ irritatione quam pus diffluendo infert. Atque indè est cur ægri eo morbo laborantes ad scalpendas aures tàm frequenter mechanicè impellantur.

4°. Imò quandòque ruptis carnium succrescentium quæ teneræ sunt vasculis sanguiferis, cruor unà cum pure permixtus foras dimanat, & pus rubore suo tingit, & sanguinolentum reddit.

5°. Ulcus aurium fistulatum evadet si ulcus altè lateat, quia cum non pateat via puri exiturienti varios istud aget cuniculos, atque in hoc casu diutiùs retentum, tandiù congeritur donec suâ quantitate objecta perfringat repagula, & in alvearii cavum irrumpat, moxque brevi temporis intervallo denuò coacervabitur, denuòque ubertim diffundetur.

6°. Compressis à stagnante sanguine labris ulceris, lympha accumulabitur, quæ vel dissflatis tenuioribus suis particulis inspissata in calla obdurescit, quibus multiplicatis, ac proindè crescente impedimento ulcus serpit ad vicinas partes ac tandèm ossis petrosi caries ducetur, vel fungosas carnes eadem lympha congesta dilatando vasa pariet, quibus obturato auditus organo, surditas fiet.

7°. Denique vertigo, capitis dolor, cæteraque cerebri, & partium vicinarum vitia quæ ulceri aurium supervenire possunt ex uberiore sanguinis ad illas partes affluxu seu appulsu repeti debent ad quos divertere facilè concipitur supposito semel in auribus obice.

DIAGNOSIS.

Ulcus aurium manifestò indicat puris aut saniei profluvium an autem profluens materia purulenta verè sit ex præcedentibus, dolore aurium, & inflammatione dignoscitur;

quæ quidem morbosa accidentia adveniente pure aut sanie, vel discutiuntur penitùs, vel saltem paulatim remittunt.

Ulcus externum ab interno distingues ex prægressæ inflammationis præcognito loco, minori auditus vitio, & mitioribus simptomatis.

Ex puris naturâ mundum vel sordidum acphagædenicum ex magnâ puris emissi copiâ profundum, ex minori ejusdem quantitate superficiarium, deniquè ex vetustate ulceris, & puris diffluentis virulentia atque corrosione ulcus aurium fistulosum esse conjicitur an ab abscessu rupto, an autem ab inflammatione in suppuratum abeunte pendeat, innotescit facilè ex eo quod in primo casu ruptâ cystide pus confestim ac copiosè irruat, in altero autem paulatim dilabatur, & eâ proportione quâ in partis inflammatæ labiis generatur.

PROGNOSIS.

Ulcus aurium in genere periculosum est, tùm quia quandoquè cerebrum afficit, tùm quod vix ipsi remedia topica applicari possint quibus abstergatur, & ad cicatricem perducatur, atque adeò fungosæ succrescant carnes, quibus obturato auditus organo, non modo surditas, sed fistulosi sacci, exostoses, cæteraque vitia inferuntur.

Varianda tamen est prognosis pro variis circumstantiis. 1°. Pro variâ ulceris sede, si ulcus alvearii ulcere tympani, hoc autem labyrinthi ulcere minùs periculi portendit. 2°. Pro ratione causæ sic ulcus aurium ab abscessu rupto oriundum faciliùs multò curatur,

quam si post inflammationem superveniat, nàm idem dicendum de ulcere aurium quod de cœteris corporis ulceribus quæ faciliùs aut difficiliùs curari pro duplici causâ docent exempla pthisicorum, & eorum qui vomicâ pulmonum afficiuntur. 3°. Demùm pro naturâ ulceris, & puris effusi, sic ubi ulcus inveteratum est, profundum, saniosum, fistulosum, latetque, pus aut sanies acris & corrosivà emittitur, pejus est, curam difficiliùs admittit quam si ulcus sit recens superficiarium, ac pus sincerum, legitimum, albicans, neqnè corrosivum suggerat.

CURATIO.

Ut Inflàmmatis sic exulceratis auribus duplex competit therapeia interna una, externa alterà, interna eadem est quæ in cæteris quibuscumque partium ulceribus internis adhiberi solet, atque illa tota consistit in demulcendâ sanguinis & humorum acrimoniâ simul & tollendis impedimentis aurium quibus ulcus originem debet ac tandem in corrigendâ constitutione sanguinis vitiatâ quæ causa est ulceris antecedens & aliquandò fovens.

Præmissis itaquè præmittendis videlicèt diætâ humectante, ac demulcente, venæ sectione si opus sit, ac præsertim catharticis mitioribus, & enematis emollientibus, leviterque purgantibus, sunt usurpanda statim ea omnia quæ sanguinem ac lympham diluere ac edulcorare valent, qualia sunt jusscula ex pullo juniori ex cancris fluviatilibus, cremores varii, ptisanæ demulcentes, ac

lacticinia quæ cœteris omnibus præstant ; utatur itaque æger lacte vel asinino, vel vaccino cum infusione herbarum vulnerariarum partibus æqualibus mixto & ebutirato semel, vel bis in die, vel si stomachus ferat solo lacte vescatur. Ad hæc balsama varia lacti admiscantur putà balzamum verum de capahu aut peruvianum ad guttas aliquot cum sirupo capillorum veneris non modo ad abstergenda ulcerum labra sed etiam ad conciliandum sanguini motum, & impedimenta labrorum ulceris quæ ab induratâ lymphâ pendennt, reseranda, imò si ægri bonâ sint corporis habitudine, si pituitosum habeant temperamentum, vel satis pingues, obesi, plethorici sint, ptisana sudorifica multùm proderit, & bochetum ex ptisanæ residuo confectum ad exsiccandum ulcus & cicatricem maturandam.

Insuper maximè attendere oportet ad sanguinis crasim quæ si fervidior sit diluentibus ac refrigerantibus attemperanda, si crassa, ac viscida levioribus aperientibus, sed imprimis martis præparatis paulatim incidenda, si viru venereo coinquinata frictionibus ex mercuriali unguento depuranda..

Externa therapeia eo vergére debet. 1°. Ut puris descensus seu per aurem effluxus facilitetur quod fit, jubendo ut æger suprà aurem affectam decumbat, nam eo pacto materia purulenta proprio pondere commodius diffluens, minorem intrà aures moram contrahat & cicatrici locum dabit.

2°. Ut calla si quæ sint quæ cicatrici officiunt, solvantur quod perficietur detergentibus quibus admiscentur æs viride, unguen-

tum ægiptiacum, apoſtolorum. &c.

3o. Ut ulcus probè detergatur, & purulenta materies eluatur, hoc autem præſtabunt hidromel tepidum, decoctum hordei, vél roſaceum, myrrha, thus, ſucci variarum plantarum, cyclaminis, centaurei minoris, abſinthii, marrubii, decoctum foliorum agrimoniæ, plantaginis abſinthii, hederæ, radicis gentianæ, decoctum pariter foliorum betonicæ in vino calente, fella variorum animalium.

4°. Ut deterſo ulcere ac probè mundata cicatrix debita promoveatur ope epuloticorum ſeu cicatriſantium qualia ſunt ſarcocolo. lota, laudanum, ariſtolochia rotunda, alumen uſtum, vinum tepidnm in quo ferri fruſtula candentia infundi ſolent, aquæ bellilucanæ, æs viride, unguentum Apoſtolorum, ægiptiacum, pompholix, tutia, ceruſa multifariam intermixta & auribus inſtillata, item ſuffumigia ex galbano, maſtiche, gummi juniperi, aliiſque per infundibulum in aurem immiſſis feliciter quandoque ſuccedunt, ſin autem ulcus fiſtuloſum ſit, & callis durioribus undequaque oblitum, quod tum ex inveterato ulccre, tum ex continuo ſaniei putridæ fluxu conjicitur, detergentibus fortioribus cum admixtis eſcharroticis potiſſimum ex ære viridi confectis & cliſtere auriculari injectis opus eſt, quo melius & potentius abſtergatur, & fungoſis carnibus, callis-vè occurratur.

CAPUT III.

De morbis Narium.

Constat nares duplici potissimum usui mancipari, nempè tum recipiendis corpusculis odoriferis, tum transitui acris per lacunar faucium ad trachealem fistulam alternatim, & inspiratione introducendi, & expiratione ejiciendi. Possent itaque sub eo respectu vitia narium ad duo statim genera reduci scilicet ad ea in quibus vitiatur respiratio, & ad ea in quibus olfactio labefactatur, interim ne scrupulosius agere videamur acceptum in describendis hujusmodi morbis ordinem sequemur. Atque caput istud in sex articulos dividere juvat in quorum. 1°. De Coryzâ, in 2°. de hæmorragiâ narium, in 3°. De sarcomate & polypo, in 40. de fætore narium, in 5°. De ulcere & ozænâ, in 6°. Demùm de sternutatione acturi sumus, omissis de industriâ narium vulneribus, quorum historia ad Chirurgiæ tractatum pertinet.

ARTICULUS I.

De Corisâ.

Orysa quam gravedinem latini dixerunt, est catharri species, seù fluxio quodam gravitatis sensu in naribus, ac præcipuè circa

frontem ſtipata cum ſuccedente humoris principio tenuis, dein verò craſſiuſculi diſtillatione.

DIFFERENTIÆ.

Dividi poteſt hic affectus ratione cauſarum à quibus dependet in recentem, & inveteratum, calidum & frigidum, pituitoſum, acrem, verum harum differentiarum ratio clarius patebit ex cauſis jàm enumerandis.

CAUSÆ.

Turpiter errarunt veteres dùm ſtatuerunt copioſum humorem in anticis cerebri ventriculis cumulatum illud molè ſuâ premere, & gravaxe deindeque trans oſſis cribroſi foramina in narium cavitate immitti, cum neque ullam patere viam à prædictis ventriculis ad nares neque quidquam utcumque tenue per oſſis ethmoidei fora minula trajici poſſe autopſia doceat, quapropter hujus morbi ſedem non in cerebro, ſed in membranâ illâ mucosâ quæ pituitoria nuncupatur reponendam eſſe cum neotericis arbitramur.

Compertum eſt membranam hanc pituitariam quâ non modò obveſtiuntur binæ & exterius patulæ narium cavitates, ſed & aliæ intus latentes ſinuum nomine vulgò cognitæ, imò & oſſium ſpongioſorum cavernulæ, quæ cum narium cavitatibus communicant plurimis acinis glanduloſis multifariam interſectis componi mucoſo cuidam viſcidoque humori ſecernendo à naturâ deſtinatis qui præterla-

bentis aëris impetu reſpirando ſenſim diffla- tur, vel emungendo rejicitur, quandiù debitâ quantitate atque proportione à ſanguine ſeparatur. At ſi inverſo cauſarum naturalium ordine mucoſum illud liquidum in prædictis glandulis nimioperè congeratur, fluxionem producet ſimilem illi quam in catharro pulmonari ſolet excitare bronchiorum, vel ductus trachealis glandularum obſtructio, nimiaque repletio.

Quæcumque itàque muco in membranæ pituitariæ glandulis, vel earumdem ductibus excretoriis retinendo, ac congerendo paria ſunt, inter remotas coryſæ cauſas recenſeri meritò poſſunt.

Cumulabitur autem mucus narium in earum glandulis triplici potiſſimum de causâ, nimirum ſi uberiùs ſolitò ad illas confluat, ſi craſſior ac fæculentior conſuetum nequeat iter facere, & per ductus excretorios in narium cavitatem immitti. Deniquè ſi iidem ductus excretorii impervii ſunt, & ſecretum liquidum non excipiunt. 1o. Mucus narium uberius confluet ad glandulas membranæ pituitariæ, 1°. Ob nimiam vaſorum plenitudinem, ſeù plethoram, ſic helluones qui nimiâ ciborum copiâ ſe ingurgitant, fluxionibus præ cæteris magis obnoxios eſſe certum eſt. 2°. Ob celeriorem humorum circuitum, quo fit ut munus ad colatorium frequentius appéllat, ſic ex vehementioribus exercitiis, ex abuſu vini, liquorum ardentium, ciborum acrium, & piperatorum, ex irâ indomitâ, nimio ardore ſolis, vigiliis diù protractis, aliiſque ob ſuppreſſam aliquam evacuationem conſuetam puta inſenſibilis tranſpirationis,

menstruorum, sudoris, &c. sic eas qui frigido aëri sese imprudentes objiciunt, præsertim incalescente corpore, qui nudos pedes in aquam frigidam mergunt, qui in aquâ frigidâ præpostere balneantur, qui de pectendis capillis parum solliciti sunt, vel mulieres quibus ex obstructione uteri menstrua supprimuntur, corysâ non rarò affici observamus.

2°. Mucus narium non poterit subire ductus glandularum excretorios, & foras ut par est expurgari præ nimiâ crassitie 1°. Si talis suggeratur à sanguine ipso crassiori, & viscidiori. Sanguinem crassum efficient alimenta ejusdem indolis crassa, cruda, frigida, coctu difficilia, humida cœli temperies quæ flante austro viget, vita sedentaria, somnus longior &c. 2°. Si à frigidiore aëre externo inspirationis tempore narium sinus subeunte coaguletur, vel ex repentinis aëris mutationibus autumnali tempore quandoque contingit, vel ab aquâ frigidâ naribus attractâ, ut urinatoribus accidit.

3°. Denique ductus membranæ pituitariæ excretorii impares evadent recipiendo muco narium in glandulis secreto, si vel premantur exterius, vel interius obstruantur; comprimentur distentis præternaturam ejusdem membranæ sanguiferis vasis, sic inflammatæ nares corysam persæpè pariunt. Obstruentur verò causis omnibus quibus glandularum obstructionem fieri in præcedentibus affectibus dictum est, inter quas præcipuè sunt frigidus aër mucum inspissans, vel nimia ejusdem caliditas quâ difflatis partibus muci tenuioribus, superstites crassiores adunantur. Hac ultimâ ratione agunt liquores spirituosi, ut

aqua reginæ Hungariæ, vel aromata sæpius naribus admota, aut inspirata, nimia ad ignem accessio, aplicatio diuturna &c. harum causarum actionem non parum juvat vitiosa membranæ pituitariæ dispositio videlicet glandularum, & ductuum excretoriorum laxitas aut angustia sivè congenita fuerit.

SIMPTOMATA.

Ex jàm dictis patet in gravedine mucosum narium excrementum in glandulis vel ductibus earum excretoriis coacervari quod fieri non potest quin vicina vasa sanguifera comprimantur, & interturbetur sanguinis circuitus hinc.

1°. Excitatur sensus gravitatis in cavitate narium & sinibus cum illâ communicantibus qui vel in naso, vel circa supercilia potissimum persentitur.

2°. Initio fluxionis oppletis glandulis aut obstructis ductibus earum excretoriis mucus narium vel nullatenùs excernetur, vel tenuiores dumtaxat ejus partes ob viæ angustiam elabuntur, hinc vel nullus, vel paucus morbi principio mucus rejicitur & dilutus admodùm, imò verò nasus quandòque tumet exteriùs si vitium sit in ipsis naribus, vel si intùs lateat, & sinus afficiantur, internus & gravativus dolor ingravescit, deindè sensim dilatatis & laxatis ductibus excretoriis, mucus morà crassior factus per viam patentiorem quâ datâ portâ erumpit, & copiosiùs emungendo educitur, atque tunc olfactus aboletur, vel prætermodùm minuitur. Quoniam corpusculorum odoriferorum ad nares

impingentium actio non parùm retunditur à ſulphureo, & viſcidiore muco exundante quo membrana pituitaria præcipuum obfactus ſenſorium obtegitur & munitur.

3°. Factâ in narium glandulis muci congeſtione, compreſſa, uti dictum eſt, vaſa ſanguifera liberum cruoris aditum non permittent, undè creſcente eorum vaſorum anguſtiâ inflammatorius tumor ſuborietur calore, dolore &c. ſtipatus.

4°. Quin imò ruptis quandòque vaſis ſanguineis pus in ſauciatis iiſdem vaſis generabitur, vel mucus contractâ morâ nimiâ acrior factus & corroſivus membranam pituitariam exedet eamque exulcerabit. Hoc in caſu ex moleſtâ & aſſidua nervorum irritatione frequens aderit, & morboſa ſternutatio.

5o. Infarctis naribus ſanguis per vaſa collateralia ob viam faciliorem uberiùs ad caput determinabitur, & cephalagiam, ſeu capitis gravitatem inducet.

6°. Sin verò retentus mucus in ſanguine viam ſibi faciat in ſalivales glandulas ob peculiarem eorum diſpoſitionem, copioſior expuitio futura eſt.

7°. Deniquè auctâ ſanguinis ad caput irruentis vehementiâ, cerebrum plectora obrutum vix poterit ſpirituum acreorum ſecretioni vacare.

DIAGNOSIS.

Coryza facilè patet ex ſimptomatis indefinitione ſuprà recenſitis nempè ex nimiâ muci excretione, fluxuque involuntario, nec non ſenſu gravativo narium, & præcipuè circà frontem, cauſæ ex antecedentibus, & concomitantibus erui facilè poſſunt.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

Quandòquidem coryza per ſe & abſquè remediis citò diſcutitur, catharri ſpecies eſt omnium leviſſima, præſertim ſi recens ſit, ſi à causâ quâpiam externâ ortum ducat, neque inflammationem adjunctam habeat, ſecùs verò ſi vitiata ſit ſanguinis diatheſis ſi affectus contumax ſit, ſi inflammatione, aut ulcere ſtipetur periculoſa cenſenda eſt.

CURATIO.

Quamvis ut jàm innuimus coryza ut plurimùm ſpontè evaneſcat, nec morbus ſit interim tamen quandòque diù durat, & medicam opem requirit, atque tunc habitâ ratione cauſæ & ſimptomatum varianda eſt curatio.

1º. Si gravedo ab inſpiſſato muco narium, craſſaque humorum conſtitutione pendeat, præmiſsâ venæ ſectione purgantia mediocra adhibenda ſunt, imò & quandòque emetico-cathartica ut cruditates primarum viarum eliminenter, ſanguis attenuetur, & humores ad inteſtina divertantur, dein remediis utendum eſt quæ viſcidam ſanguinis craſim corrigere valent, & eam diluere, ac dividere nempè aperientibus ac imprimis chalibeatis, atque iis maximè inſiſtendum eſt, ſi æger fluxionibus obnoxius ſit. Toto morbi decurſu æger in lecto calido continendus eſt, ne aer externus frigiditate ſuâ impedimentum narium augeat, & diætam ſervare debet calefacientem & attenuatum.

2º. Si coryza à præfervido ſanguine &

acriori producatur, si adsit plethora si adsint vel factæ vel futuræ inflammationis signa, tunc præscriptâ priùs diæta refrigerante, ac demulcente, & iteratâ phlebotomiâ, emulsiones, julepi, & ptisanæ refrigerantes utilia sunt ad compescendum sanguinis orgasmum, narcotica ad mitigandum dolorem, & purgantia lenia ad catharsim leviter movendam, quibus præmissis juscula ex pullis gallinaceis, & cancris fluviatilibus, cremores hordei, orysæ, amigdalata, & lacticinia ad temperandum, ac demulcendum sanguinem proderunt.

Cæterum in utroque casu si pervicax fluxio sit, & sæpè recurrat, masticatoria sæpè in usum vocanda sunt quibus factâ revulsione humores parciùs ad nares confluunt, sicque vasa minùs turgida restituto elatere ab infarctu liberantur; idem præstare cauteria in corysâ habituali docet experientia.

Deniquè plerique authorum SENNERTUS RIVERIUS topica suadent sub errhini aut vaporis formâ attrahenda, in hunc finem laudant majoranæ succum, vel exceptum odorem thuris, nigellæ, cumini, aliorumque suprà ignitas prunas combustorum, vel fumum decocti majoranæ, chamæmeli, meliloti, zisimbrii &c. verùm hæc parvi momenti sunt. His omnibus præstat pulvis nicotianæ naribus haustus, dùm initio fluxionis mucus non exernitur, nam irritatâ membranâ pituitoriâ emunguntur nares, & infarctus reseratur, abstinendum tamen ab usu tabaci quandò nimiùs est muci acrioris effluxus sternutatio frequens, aut imminentis ulceris signa adsunt.

ARTICULUS II.

De hæmorragiâ Narium.

HÆmorragia narium ſtrictè uſurpata nihil aliud ſignificat quàm profluvium ſanguinis per nares ex ſolutis, ruptiſque earumdem vaſis ſanguiferis oriundum, hæmorragia verò in genere juxtà vocis æthimon vulgò accipitur pro eruptione copioſa ſanguinis quacumque corporis oriatur.

Quocircà cautè advertendum eſt an cruor erumpens è vaſis ipſiſmèt narium prodeat, an verò è palato, imis faucibus &c. per lacunar ad nares aſcendat, nam in hoc ultimo caſu ſanguinis fluxum utcumque per nares fiat hæmorragiæ nomine non eſſe donandum. mox invaluit apud rerum medicarum ſcriptores.

DIFFERENTIÆ.

Hæmorrhagiæ narium duplicem ſpeciem practici paſſim referunt unam criticam, ſimptomaticam alteram, critica illa eſt quæ fit cum bonis ægri rebus, atque indè ſalutaris appellatur. Simptomatica verò morbum exaſperat, & noxia eſt, ſeu morboſa, priorem morbos acutos perſæpè ſolvere, poſteriorem verò chronicis ſeu diuturnis affectibus frequentiùs ſupervenire experientiâ certum eſt.

Ratione cauſæ hæmorragiam parientis multiplex ſtatui poteſt ejus differentia, alia enim

ruptioni, alia erosioni vasorum sanguineorum natales debet, alia ab externâ, alia ab internâ causâ pendet, interdùm sanguis è naribus, interdùm è sinubus cum cavitate narium communicantibus emergit. Denique pro majori, vel minori ruptionis gradu sanguis copiosiùs modò parciùs effunditur, verùm non solent hæ differentiæ propriis nominibus designari.

CAUSÆ.

Rejectâ circà modum quo sanguis è suis vasis erumpit, veterum sententia qui causam hæmorragiæ seu effusionis sanguinis quadruplicem agnoscebant, rixim nempè seu ruptionem vasorum, diabrosim sivè erosionem, anastomosim sivè apertionem vasorum eo in loco in quo invicem arteriæ cum venis inosculantur, diapedesim tandem sivè transcolationem sanguinis formâ sudoris per patentiora vasorum prætermodum extensorum spiracula emissi diapedesim enim fieri non posse probat tumor varicosus qui utcumque increverit sanguinea genuinum, & purum nusquàm fundit, idem dictum volumus de anevrismate, rejectâ inquam veterum sententiâ, asserimus contentum in propriis sanguinem effundi nequaquàm posse nisi factâ solutione tunicarum vasa efformantium quæ sanguini intùs coercendo, ac retinendo ex instituto officio à naturâ dicantur. Hanc autem continui solutionem cum Medicorum vulgo adscribimus causis rumpentibus vel erodentibus, undè ruptionem vel rosionem vasornm sanguineorum causam esse hæmorragiæ narium proximam arbitramur.

1°. Rumpentur & aperientur vaſa narium ſanguifera, vel à cauſis internis, vel ab externis, internæ ſunt ea omnia quæ ſanguinis moram accerſere & congeſtionem in prædictis membranæ pituitariæ vaſis, plethoramque narium producere valent. Hujuſmodi ſunt 1°. Plethora vera univerſalis, ſic hæmorragia narium ſupervenit iis qui cibis ſe ingurgitant, vel otioſis qui vitam vivunt deſidem, & ſedentariam. 2°. Plethora totius corporis apparens, ſic ſanguinem è naribus fundunt febrientes, cachochimici, temulenti, crapulæ dediti, ad iram proni, aut ii qui nimio ſolis ardori ſeſe objiciunt. 3°. Narium, aut vicinarum partium inflammatio quâ vaſorum tunicæ nimioperè diſtenduntur ut cæteris tumoribus phlogodæis ſolemne eſt. 4°. Vehementiora corporis exercitia præſertim demiſſo capite, quibus ſanguis velociùs ad ſuperiora urgetur, proindèque ad nares copioſiùs appellit. 5°. Demùm conſuetæ quælibet evacuationes ſuppreſſæ, ſic obſtructis infimi ventris viſceribus, ſic retentis catamaniis, cohibitæ inſenſibili tranſpirationi, difficili variolarum, aut morbillorum eruptioni &c. Hæmorrogiam narium ſupervenire haùd infrequens eſt. Harum autem omnium cauſarum actioni aliundè favet vaſorum imbecillitas nativa, vel adventitia.

Inter externas vaſorum ruptionis cauſas plurima numerari poſſunt nempè contuſio, ictus, caſus ex alto, ſaltus vehemens, ſanguiſugæ in narium cavitatem inductæ, inſtrumenta quælibet pungentia, ſcindentia, aut alio quovis modo nares ſauciantia &c.

Erodentur ſimiliter vaſa ſanguifera interiùs

vel exteriùs. 1°. Ab humoribus nares irrorantibus & acrioribus præsertim verò muconarium ; iste autem vel remorando in suis conceptaculis acrimoniam contrahet extricatis partibus salinis rigidioribus, vel quia à sanguine paris indolis salibus onusto ortum ducit, quælibet igitur salsiorem sanguinem, acrioremvè reddere poterunt, ea inter caussas hæmorragiæ narium remotas recensenda veniunt, quatenùs vasa exedendo aperiunt, eumdem effectum præstabit purulenta sanies ac putrida quæ vel in ozænâ seu ulcere narium inveterato per plagæ vascula dilabitur, vel ex sacco lacrymali ad nares defertur quando liberum est ab obstructione ejusdem sacci emissarium.

2°. Exterius vasa narium erodentur ab errhinis, vel sternutatoriis acrioribus, sic insufflatus euphorbii pulvis, sic arsenici fumus inspiratione attractus, aliaque hujus generis corrosiva hæmorrogiam quandoque pariunt.

SIMPTOMATA.

1°. Sanguis è naribus profluens nunc crassus est fæculentus, nigricans sic cœnosis ductibus apertis prodeat, nunc tenuis, floridus, spumosus, & colore rutilans si ex arteriis ruptis elabatur, atque in hoc casu cum impetu, & quasi subsultim foras erumpit, rursùs modò serosus, dilutus, albidus & lymphaticus, modò verò spissus & viscidus ; pro diversâ totius humorum molis diathesi nunc crassa, nunc dissoluta.

2°. Si caussa hæmorragiæ continenter agat, si vas aliquod insigne narium disruptum fue-

rit imprimis verò arteriosum, si sanguis acrior sit, dissolutus & minus onustus partibus balsamicis cicatrici obducenda idoneis, sanguinem absque ullâ intermissione ubertim effluxurum fore consequens est; secùs autem si vena exiguissima aperiatur, si sanguis balsamicus sit & laudabilis consistentiæ levior erit hæmorrhagia, vel si causa morbifica per intervalla egerit, sanguinis profluvium subindè recurret.

3o. Facies decolor tùm à nimio sanguinis dispendio, & vasorum depletione repeti debet tum quandoque [ut mulierculosis & pavidis accidit] ex summo timore quo perterrentur ægri dum sanguinem multum profundunt.

4°. Depletis vasis hæmorragiâ largiori & diuturniori, naturalis sanguinis quantitas minuitur, & cordis vigor enervatur quod fieri nequit quin sanguis arterias parciùs subeat, indè parva dilatatio, seu pulsus languidus.

5°. Arteriæ à pauco sanguine parum dilatatæ parum constringentur restituto elatere tunicarum, & modicam sanguinis copiam ad cerebrum transmittent, sed ex minori sanguinis ad caput appulsu liquidum spirituosum paucâ quantitate secretum parciùs quoque influet ad partes musculosas quas proindè sufficienti vi decurtare, seu contrahere non poterit, ergo prostratio virium adfutura.

6°. Virium imbecillitatem sequitur artuum tremor quia ob debiles musculorum contractiones sublatæ partes sustineri constanter nequeunt, sed potiùs vim contractivam instanti subsequenti superant, donec tertio instanti renovato influxu pondus membri rur-

sus vincatur, ficquè vicibus interpolatis nunc musculorum contractio membrorum gravitate, nunc verò hæc contractione musculorum superior est, undè successiva artuum elevatio & depressio in quâ tremoris ratio consistit.

7º. Sanguis segnitur propulsus debili cordis & arteriarum. Sistole hærebit magis, minusvè inæqualiter in diversis corporis partibus, variaque inferet symptomata morbosa ab inæquali arteriarum oscillatione deducenda; hinc aurium tinnitus, pulsatio temporum, hæbetudo visus, seù caligo oculorum, marmaryges oculis obversantes &c

8º. Iisdem causis sed vehementius agentibus interrupto circuitu vel sanguis non appellet ad cordis substantiam, unde cessante stimulo fibræ carneæ cordis alternis suis contractionibus perficiendis impares futuræ sunt, vel idem sanguis deficiet in cerebello, neque proindè poterit sub ministrare spiritus acreos quos immediatam esse motus cordis causam docuimus alibi in dissertatione de febribus nuperrimè in hoc lyceo propugnatâ; hinc ergò nascentur sincope, animi deliquium, asphixia, frigus extremorum, ac sudor gelidus, quæ quidem ex retardato fluidorum, solidorumque motu oriuntur.

9º. Deniquè magna & ingens hæmorragia diuturna, & habitualis atque identidem recurrens sæpè in cachæxiam vel hydropem degenerat, idque exindè fit quod sanguis, cæterique humores defectu sufficientis motus incrassescant & apti evadant, vasis præcipuè viscerum abdominalium obstruendis.

DIAGNOSIS.

Hæmorragia narium per ſe patet, quamquàm enim aliquandò ſanguis ex ore, faccibus, pulmone, vel ſtomacho per lacunar ad nares poſſit aſcendere, indeque foras ejici, nihil ominus tamen hunc ex ipſis naribus profluere evidens eſt, ſi abſque ullâ tuſſi, aut vomitione erumpat.

Arterias aut venas narium apertas eſſe deducitur uti ſuprà innuimus ex ſanguinis effuſi colore conſiſtentiâ & modò quo effunditur rurſùs è naribus ipſis provenire ſanguinem judicatur, ſi nullus præceſſerit internus dolor, ſi exterius adhibita topica aſtringentia nullo negotio fluxum cohibeant, ac deniquè ſi hæmorragia à prægreſſâ naſi contuſione, aut conſimili aliâ causâ externâ ortum ducat, ſecus verò ſignis contrariis ſanguinem è ſinubus oriri indicium eſt.

An à ruptione vaſorum, an ab eorumdem roſione pendeat, ex ſignis conſtitutionis ſanguinis, cauſis antecedentibus & ſubſequentibus obtinebitur An cauſæ ruptionis aut roſionis externæ ſint, vel internæ dignoſcetur ſciſcitando ab ægris nura præceſſerint contuſio, ictus, caſus, an alterius cujuſlibet externæ cauſæ actio, necnè.

Utrum rumpantur vaſa ob ſimplicem plethoram colligi poteſt ex ejus ſignis, rubore faciei catamæniorum ſupreſſione, aut alterius cujuſvis evacuatonis ſolitæ, vitæ ratione, nempè vitâ deſide atque ab exercitui liberâ, & abuſu ciborum præſertim eſculentorum.

Porrò criticam eſſe narium hæmorragiam

exindè argues quod fiat cum ægri levamine ; ſimptomaticam autem ac morboſam quod pulſus langueat, paleſcat facies, vires proſternantur, cæteraque ſimptomata ingraveſcant.

Deniquè vas aliquod inſigne ſanguiferum aperiri conjectari poteſt ex copioſo ſanguine exiliente, parvum verò ex pauco ſtillante ſanguine.

PROGNOSIS.

Tota vitæ ratio poſita eſt in circulatione humorum, atque hæc tunicarum in quibus conſtant ſolida integritatem ſupponit, cujus ratione liquida ab effluxu arcentur, ergò ratione oppoſitâ hæmorragia quæ proximè fit à vaſorum ſanguiferorum ſolutione, morbus eſt in genere circulationis, & vitæ legibus adversùs.

Varianda tamen hæmorragiæ narium prognoſis pro diverſâ hujus ſede, ſimptomatum vehementiâ, & cauſis eam producentibus. ſic.

1°. Simptomatica multùm portendit periculi propter gravia quæ infert ſimptomata. critica verò ſeù ſalutaris naturæ conamen eſt venæ ſectionis vicem ſupplens, quâ depletis vaſis ſanguiferis, & ſublatâ plethora facilior redditur circuitus ; indèque naturales functionum exercitium redintegratur utrumque docet conſtans experientia, quâ periculoſam eſſe hæmorragiam in chronicis affectibus, ſecùs verò febres ardentes, phrenetidem, inflammationem cerebri, alioſque morbos acutos ſolvere compertum eſt.

2°. Difficiliùs curatur hæmorragia narium

quæ ab internâ causâ pendet, & vitiosam sequitur sanguinis diathesim, quam ea quæ fit ab externâ aliquâ causâ independenter ab ullâ humorum labe; similiter periculosior est inveterata recenti, aut illa quæ à rosione vasorum quam quæ ab eorumdem disruptione producitur.

3°. Si sanguis ex naribus ipsis immediatè prodeat, topica hunc sistere poterunt, sin autem ex partibus magis dissitis, nempè ex narium sinubus, difficilior erit therapeia ob inanem topicorum successum.

4o. Dùm aperta narium vasa majora sunt arteriosa & sanguinem copiosius eructant, prognosis mala instituenda est, tùm quod vix cohiberi possit nimiùs sanguinis fluxus, tùm quod vires prosternantur, & sincope immineat. Contrariis rationibus minùs, aderit periculi si vasa minora, & venosa disrupta sanguinem parcius profundant.

5°. Hæmorragia quæ habitualis est, & frequenter recurrit viscerum obstructiones indicat & in cachæxiâ taben, vel hidropem degenerare solet, quæ mala cum difficilè admodum sanentur hæmorrhagiam quoque reddunt vix sanabilem; indè est quod ii qui pituitoso frigidoque temperamento donantur ob nimium sanguinis lentorem, ejus pro fluvium per nares ægius ferant biliosis & sanguineâ temperie prædictis, in quibus humores fluxiliores sunt, & ad circulandum aptiores.

6o. Præsens impendet periculum si multùm debilitentur vires, imò si superveniant sincope, lypothimia, singultus, deliria, convulsiones si pallida sit ac livida facies cum

pulſu languido, gelido ſudore, & extremorum frigiditate, mors in procinctu eſt: ſin ex adverſo hæc abſint morboſa ſymptomata, præſertim ſi vires conſtiterint, nihil periculi hæmorragia portendit.

7°. Deniquè ſi narium hæmorragia à ſuppreſſis orta catamæniis cohibeatur, malum, quia aucta indè quantitate ſanguinis, metuendum maximè ne in parte aliquâ internâ fluxio fiat, proindequè ſanguinem ſtatus menſtruorum recurſibus per nares egeri ſalutiferum eſt, id ità teſtante experientiâ, atque ità docente hippocrate aphoriſmo 33. ſectione quinta mulieri, inquit, menſtruis deficientibus è narribus ſanguinem fluere, bonum.

CURATIO.

In curandâ narium hæmorragiâ videndum ſtatim à quâ causâ producatur, atquè attento animo perpendenda illius ſimptomata.

Si cauſa externa ſit ceſſante ejus actione brevi per ſe & abſque ullo Medici auxilio fluxus ſanguinis evaneſcet, reſtituto vaſorum elatere, & coaleſcentibus eorum labris, non ſecùs ac evenit in levi cutis inciſione quæ facta priùs aliquandiù è parte ſectâ cruoris expreſſione, ſolo naturæ molimine perſanatur. Idem ſeu potiùs nihil agendum eſt, ſi tenue aliquod vas ſanguiferum ruptum fuerit, & paucus ſanguis exeat.

Similiter committendum arbitrio naturæ cruentum illud narium ſtillicidium quod criticè ſuperveniens multum levaminis nihil verò damni ſecum affert, ut enim cæteras criticas evacuationes cohibere peſtiferum eſt,

ſic

sic & sanguinem è naribus fluentem sistere.

Si retenta menstrua purgamina hæmorragiam remotè pariant, si ne fluat sanguis, finito verò profluvio, tolle plethoram, & menses revoca venæ sectione è malleolo, cæterisque auxiliis in mensium suppressione suo loco proponendis.

Si hæmorrhagia simptomatica sit, si ut ut critica in principio diutiùs perseveret cum virium lapsu si habitualis fuerit, si vitiosam sanguinis constitutionem agnoscat, deniquè multus sanguis effundatur, tunc utilissimum est Medicinæ præsidium, quo circà tribus præcipuis indicationibus satisfaciendum quarum. Prima est ut sanguis ad nares profluens revellatur, & aliò derivetur. Secunda ut vasorum apertorum coitio promoveatur. tertia demùm ut corrigantur sanguinis vitia quæ obices in vasis narium sanguiferis produxere.

1°. Primæ indicationi conducit venæ sectio quæ plethoram tollit, liberiorem reddit circuitum, vasorum elaterem restituit, præpeditque nimium appulsum sanguinis nimirum hunc determinando uberius ad venam sectam. Quemadmodum enim fluxum sanguinis criticum vel modicum ipsa sanat natura simplici vasorum depletione, ità Medicus naturæ opifex hæmorrhagiæ hæmorrhagiâ mederi debet, nequè audienda hâc in re ut multis aliis stulta plebecula cui crudele, & inhumanum videtur sanguinem mittere iis qui immodicam sanguinis jacturam patiuntur, contrarium demonstrante quotidianâ experientiâ quâ constat nullum esse medicamen sistendo sanguini aptiùs, præsentius nullum Phlebotomiâ, tum in talo tum in brachio ins-

titutâ, pluries iterandâ & largâ manu, nisi obstet nimia virium imbecillitas, imò usque ad animi deliquium, quia tunc vasa narium à corde remotiora sanguine debilius appellente minùs oppressa, atque distracta constringuntur faciliùs & coalescunt, quo quidem auxilio contumacem olim hæmorrhagiam in Episcopo Lodovensi sanatam fuisse apud *Riverium* legitur. Parvi autem referre an vena pedis, aut brachii quæ parti affectæ directè respondet, aperiatur nec-ne, neotericos edocuere detectæ circulationis leges.

2°. Alteri scopo satisfit pluribus auxiliis sed potissimùm astringentibus interiùs & exteriùs usurpatis, ab externis inchoando si hæmorrhagia levis sit, quæ ut plurimùm sistendo sanguini sufficiunt, secùs verò interna in usum advocanda sunt.

Principio igitur admovenda ea quæ per se profluvio sanguinis restringendo paria sunt, quæ quidem duplici modo agunt, nempè alia inspissando, & figendo sanguini effluxuro viam occludunt, alia verò vel in aperta vasa simpliciter inducta vel hiantibus eorumdem labiis admota obturaculum pariunt quo liquoris sanguinei effluxus inhibetur.

Prioris generis sunt acetum quo spongiola imbuitur, & in nares immissa aliquandiù detinetur ejusdem vapor ex ferro candente emissus, & infundibulo naribus exceptus, gossipium tenue atramento perfusum ex quo penicillum conficitur in nares demittendum, alumen, vel vitriolum cæruleum in aquâ dissolutum, & naribus attractum &c.

Posterioris quoque generis plurima recen-

ſentur videlicet pilileporini, linamentum, tela aranearum, goſſipium, aliaque ex quibus turundæ fiunt naribus obturandis idoneæ, item terrea quælibet quæ ſanguinem manantem abſorbendo in extremis vaſorum ruptorum labiis in iis hærent; & ſanguinis fluxum ſiſtunt, ut teſtarum ovorum cineres, gypſum, bolus armena, ſanguis draconis, chalcitis, terra ſigillata &c. his adjungi poſſunt ea quæ ſanguinem refrigerando, & inſpiſſando hæmorragiam quandoque ſanant, dum nempè fovetur ab æſtu humorum immodico, ut V. G. aqua frigida inſpirata, balneum frigidum, pedum refrigeratio &c. vel ea quæ ſanguinem dividendo obſtructiones narium reſerant ut thus, aloës & ſimilia, vel pulverata ſimpliciter & naribus inſufflata vel ſucco plantaginis, vel ovi albumine excepta.

Præter topica enumerata interna conveniunt aſtringentia idcircò exhibeantur ægris julepi, vel opiatæ aſtringentes confectæ ex corallo rubro præparato, oculis cancrorum fluviatilium, bolo armena, terra ſigillata, ſpodio, rheo torrefacto, radicibus conſolidæ majoris, biſtortæ, pentaphilli, ſanguine draconis, lapide ſanguineo trochiſcis de Karabé, aliiſque vel cum aquis aſtringentibus, vel cum conſervis abſorbentibus variis, porrò ſpica nardi in alkool redacta & ad ʒ1. interiùs uſurpata pro ſpecifico habetur, ſed imprimis ſuccus menthæ vel urticæ depuratus ad ℥ III, interjectis quâlibet horâ juſculis, hauriendus. Horum etiam vegetabilium folia contuſa, & in nares immiſſa multum conducere ſiſtendo ſanguini notum eſt. Hæc autem interna aſtringentia omnia aperien-

tium vices gerendo, vaſorum quibus hæmorragia debetur infarctum tollunt, & fluida circuitui obeundo aptiora reddunt.

In hunc quoque finem laudantur narcotica quæ mira præſtant aſtringentibus mixta. His enim æquabiliore factâ circulatione ſanguis minori impetu ad vaſa rupta appellit, undè faciliùs multò labra eorum coaleſcunt.

3°. Corrigendo ſanguini varia auxilia competunt, prout varia ſunt ejuſdem vitia, ſi craſſa viſcidaque fuerit ejus diatheſis juvant aperientia, & diæta calefaciens, ſi calida, inſtitutâ victus ratione refrigerante, emulſiones, juſcula refrigerantia, ſerum lactis, balneum aquœ tepidæ &c. proſunt; ſi acris & diſſoluta cæteris neglectis ad incraſſantia confugiendum eſt demulcendi ſanguinis causâ & præſertim lacticinia præſcribenda.

Deniquè quæcumque hæmorragiæ cauſa ſit, præmiſſis univerſalibus, nempè venæ ſectionibus convenienti regimine, & topicis evacuandæ ſunt primæ viæ purgantibus, iiſque potiſſimum quæ aſtringente vi pollent, ut ſunt tamarindi pingues, rhabarbarum, myrobolani citrini, aliaque inter quæ ypecacuanha primum locum obtinet.

ARTICULUS III.

De poliypo narium

QUandòque naſi cavitatem occupat tumor, ſeu caruncula quædam lubrica tenuibus ſuſpenſa pediculis ut plurimùm mollis, alba, vel ſubrubra, interdùm tamen li-

cèt rariùs dura, acrenitens fuſci, vel nigri coloris modò foris extrà nares propendens, modò deſcendens in palati cavum quæ cum polypi formam quadantenns referat, ut potè quæ in modum piſcis pluribus adnata radicibus, veluti totidem pedibus, dein in molem ampiam rotundam & oblongam excreſcit, ramoſque quam plures emittit. Polypus narium ſolet à Medicis appellari, vel ut aliis placuit hæmorrhois ob ſimilitudinem cum varicoſis ani tumoribus.

DIFFERENTIÆ.

Variæ ac multiplices ſunt polypi narium differientiâ repetendæ 1°. A colore tumoris undè albus, vel ſubniger polypus eſt, aliquandò verò fuſcus, niger, aut lividus, 2°. Ab ejuſdem conſiſtentiâ hinc mollis eſt vel durus, ac ſchirroſus. 3°. A ſitu alius enim vel ad exteriora narium prorigitur quaſi pendulus vel ſaltem diductis narium pinnis ſimplici viſu patet, & externus dicitur, alius verò in ſupernâ naſi parte latent introſpici nullâ arte poteſt, vel per lacunas faucium ad imas fauces deſcendit, & internus nuncupatur. 4°. Ab excreſcentiæ naturâ, alius ſimplex eſt, alius malignus, cancroſus, vel carcinomatodes. Simplex dum ſola adeſt polypoſa concretio, abſquè ullo gravi ſimptomate, malignus verò dum gravibus ſtipatur ſimptomatibus, & præſertim dolore. Cancroſus demùm quandò exulceratur, & partes vicinas ulcerum phagædenicorum more depaſcitur. 5°. Ratione morbi durationis dividi poſſet in recentem & inveteratum.

CAUSÆ.

Cum ex cognitâ polypi ſede certum ſit hunc tumorem adnaſci membranæ pituitariæ naſi cavitatem interiùs obveſtienti quam innumeris conſtructam eſſe veſiculoſis acinis, lymphatico cuidam humori ſecernendo comparatis cum aliundè polypoſa hæc caruncula tumor ſit frigidus ſenſim increſcens, & à tuberculo quopiam glanduloſo originem habens, ſequitur polypum narium in prædictæ membranæ glandularum intumeſcentiâ conſiſtere, proindèque à mucoſi humoris in iis ſecreti cærentiâ atque collectione immediatè oriri ut cuilibèt attendenti perſpicuum eſt, neque aliter poſſent tum creſcere hujuſmodi glandulæ niſi à contento liquido earum parietes extendente, tum excitari frigidus tumor niſi ab humore frigido, ac lentè motu, qualis eſt mucus ille narium lymphaticus; quod aliundè probatur ex eo quod extirpatus polypus nullam aut levem pariat hæmorragiam, idque procul dubio quia vaſcula ſanguinea glandularum affectarum, preſſa & quaſi obliterata parvam ſanguinis copiam excipiunt ut in hæmorrhoidibus. quidlibèt ergò mucum narium in glandulis membranæ pituitariæ ſecretum cohibere, ejuſque congeſtionem producere poterit; id omne polypum remotè pariturum eſſe conſequens eſt. Haſcè autem cauſas omnes hic enumerare ſuperfluum prorsùs foret, cum expoſitæ ſatis ſuperque fuerint ſuperiùs art. De Coryzâ.

Verùm quamquam mucus in polypo nariumæquè ac in coryzâ hæreat, & cumuletur

in membranæ pituitariæ glandulis, non eadem tamen eſt in utroque affectu hærentia, & congeſtio, majus enim in polypo ſupponendum eſt vitium vel ob majorem infarctus gradum, vel ob debiliorem glandularum texturam, quorum ratione fit ut hæ à liquidis appellentibus magis expendantur: inſuper in gravedine tota quam latè patet membrana pituitaria afficitur, ſecùs verò in polypo ea dumtaxat ejus membranæ pars quæ ſummam naſi partem occupat, undè impedimento hac in parte genito, humorum hærentium actio fortior eſt, & majorem tumorem generat, quam ubi diſpergitur per univerſas membranæ glandulas.

Hic obiter exponendum ſuper eſt cur polypus in ſupernis dumtaxat non autem in cæteris cavitatis narium partibus, aut ſinubus cum his communicantibus producatur, cujus rei ratio petitur ex eo quod juxtà naſi radicem ſtrictior via ſit, proindèque membrana pituitaria hoc in loco præterfluentis acris actioni magis exponatur quam reliquæ ejuſdem membranæ partes.

SIMPTOMATA.

1°. Mucus narium collectus in glandulis membranæ pituitariæ mole ſuâ, & quantitate diſtendet earum latera, & partis tumorem inferet.

2°. Tumor ille frigidus eſt, quia ab humore lymphatico exoritur frigido, & rareſcentiæ neſcio.

3°. Senſim creſcet, quia paulatim colligitur, & conſequenter minimâ vi, & gradario veluti progreſſu glandulas dilatat.

4°. Glandulæ membranæ pituitariæ inflari nequeunt, quin excreſcentiam efficiant rotundam & glandulæ figuræ haud aſſimilem. hic tumor initio apparet ſub ſpecie glandoloſi cujuſdam tuberculi.

5°. Creſcente glandulâ, vicina vaſa lymphatica comprimentur, atque contentus humor præpedito circuitu inſpiſſatus, vaſa hæc glandulæ appenſa, & tumefacta totidem veluti tumoris radices ſeu pediculos exhibebit, ut in cancro mammarum quotidiè obſervare eſt.

6°. Prout una glandula, vel plures infarciuntur, unum aut multiplicem polypum futurum eſſe evidens eſt, vel pluribus, aut paucioribus pediolis alligatum.

7o. Glandula quæ polypi primaria ſedes eſt externam habet ſuperficiem æqualem ac perpolitam, ergò polypus increſcens ſimilem obtinebit, & ſervabit pertinaciter ſuperficiem.

8°. Baſis quâ tumor ſummis narium partibus adnæreſcit, eſt ſtricta quia fluidum in glandulâ collectum vim ſuam præcipuè exerit in ambitum glandulæ quam idcircò ſurſum & ad latera extendit, quod quidem fieri nequit quin pars illa quæ glandulæ quaſi principium eſt, & quæ cæteris vaſis adhæret ſtringatur, in extremitate igitur polypus latior eſſe debet, anguſta remanente ejuſdem baſi.

9°. Polypi mollities repetenda tum ab humore congeſto lymphatico quo expanſæ præternaturam vaſorum tunicæ imbibuntur, ac laxantur, tum à muco per cæteras membranæ pituitariæ glandulas quæ liberæ ſunt, ſecreto & polypi ſuperficiem externam madefaciente, hinc quoque fit ut polypoſa ex-

crescentia tantoperè extendatur, nam infinita penè vascula exilissima ex quibus glandulæ obstructæ involucra compinguntur, laxiore facilius expanduntur à contentis liquidis & nunc nasum elevant, nunc ramos plures emittunt, quorum alii extrà nares foris extant, alii ad fauces terminantur pro oblatis resistentiis, & modò quo tabernaculum excrescit.

10°. Quamvis polypus ut plurimum mollis sit, hunc tamen quandoque indurescere certum est, quod ab ipsiusmet humoris lymphatici duritie repetendum.

11°. Pro diverso obicis gradu, diversâque humorum hærentium naturâ variat polypi color, sic vulgò albidus est quia à solo lymphæ aggestu fit, vel subruleus & carneus, quia dilatatis vasis lymphaticis, compressa sanguifera deinceps pari modò ab hærente sanguine dilatantur, majoremque sanguinis copiam recipiunt. Fuscus, niger, aut lividus color magnum supponit in sanguiferis vasis expansionis gradum quæ oscillationibus suis naturaliter perficiendis imparia hærentem sanguinem nullo modò quatiunt, undè hic defectu motus nigrescit, & simili colore polypum inficit.

12°. Si Polypus nasum penitus obstruat, ità ut aër non possit trachealem fistulam ingredi per faucium lacunas, respirationem non nisi ore hiante & patulo exerceri posse evidens est, imò quoniam hoc in casu aër expirationis tempore inter loquendum pulsus ad solidas nasi partes clauso lacunaris faucium itinere in se reflectere cogitur ob collisionem quam in palato patitur. Sonum quemdam

edet gravem ranarum coaxationi ſimilem. Si carnea moles ad imas fauces producta pharingis, vel laringis rimam obturaverit, aderit deglutiendi aut reſpirandi difficultas major, vel minor pro diverſo excreſcentiæ volumine deniquè ſi polipus utramque oppleat narium cavitatem, & aditum aëri præcludat, non poterunt corpuſcula odorifera unà cum aëre elevata, atque permixta membranam pituitariam impetere, undè ſequetur olfactus abolitio, vel ſaltem imminutio maxima.

13. Ex jàm ſuprà dictis facilè patet cur polypus indolens ſit, præſertim initio, nec niſi dùm ad magnam molem aſſurgit moleſtam quandam ponderis ſenſationem in cavo narium excitare ſoleat, quandoque tamen more cancroſi tumoris, inhibito ſanguinis circuitu dolet, inflammatur, exulceratur, fætet, ſaniem fundit, cariem advocat, in carcinoma vertitur, cœteraque cancri ſymptomata invehit.

DIAGNOSIS.

Polypus ex ſymptomatis ſuprà enumeratis velut totidem ſignis dijudicatur præcipuè verò ex moleſtâ ponderis ſenſatione in cavitate narium, & ex reſpirandi difficultate quam ægri occluſo ore patiuntur, & quæ concretum aliquod corpus, ſeù obturaculum in naribus arguit ſpiritus viam præcludens; imò ſimplici viſu quandoque innoteſcit ſi ad certam molem exercuerit, tunc enim diductis naribus, & reſupinato ægri capite inſpicientibus apparet tumor ſummis narium partibus inhærens albus, vel ſubruber, mollis, æqualis,

alternis inſpirationis, & expirationis motibus obtemperans, ità ut nunc intropulſus ad fauces ſubtrahat ſe & occultetur, nunc verò ad extremas narium partes accedens conſpiciendum ſe præbeat. Cauſæ antecedentes & remotæ vel ab ægro vel ab aſtantibus inquirendæ ſunt.

PROGNOSIS.

Hic tumor in principio levis eſt, in decurſu moleſtus, & incommodus, rarò periculoſus, niſi inflammationem afferat, aut in cancrum degeneret, ſemper chronicus eſt affectus, & contumax, & quamquam medicamentis exarverit, vel extirpatus fuerit ferro brevi tempore denuò pullulaſcit.

Interim varia inſtituenda prognoſis pro diversâ polypi ſpecie 1°. Itaque cum in polypo albo ſola lympha hæreat: in ſubrubro non ſolum lympha ſed & aliquantiſper ſanguis: in fuſco tandem, nigro, aut livido, ſolida amiſſo elatere magnâ quantitate ſanguinis oppleantur, ſequitur fore ut albus ſubrubro, iſte autem nigricante, aut livido minùs periculi portendat.

2°. Durus & renitens periculoſior eſt molli polypo, & ſarcomati ſimili, tùm quia in illo impedimentum majus eſt, tùm quia concretio difficilius ſolvitur, tùm demùm quia concretæ materiæ ſalia majorem molem adepta ubi in motum aguntur vaſa deſtrùunt, & carcinoma producunt quod monente *Celſo* attingi non debet.

3°. Internus polypus qui ad fauces deſcendit pejor eſt externo qui ad labia propendet;

hic enim topicorum actioni magis patet, faciliusque abscinditur, simili ratione pro diversâ polypi adhærentiæ; diversâque operandi facilitate prognosis varia.

4°. Simplex importunus morbus est, malignus, cancrosus insanabilis.

5°. Denique recenti polypo medelam afferre non ità arduum est ac inveterato, quia in illo faciliùs, in hoc verò difficiliùs corriguntur, humorum vitia, solidaque pristinum, ac naturalem situm recuperant.

CURATIO.

Remedia in polypi curatione usurpanda alia pharmaciâ, alia Chirurgia suppeditat, quæ quidem utraque suo modo conferunt.

1°. Cum hic tumor viscidam supponat sanguinis & lymphæ diathesim omni opere enitendum est ut dividantur humores, nativaque restituatur eorum fluxilitas; hinc enim reseratæ glandulæ, & ab infarctu liberæ pristinam magnitudinem suam recuperabunt, aut saltem majorem indè non acquirent, tumorisque progressus inhibebitur, quem in finem præmissis universalibus nempè venæ sectione diætâ attenuante, exsiccante, & paululùm calefaciente, nec-non catharticis, aperientia proderunt, quibus diutius insistendum est ut vitium longiori tempore contractum sensim ut decet corrigatur: similiter utile est decoctum leve sudorificum ex ligno sancto, sassafras, salsâ parilla &c. quo attrita fluida liberiùs fluant, & obices tollere valeant, removendæ quoquè sunt causæ omnes quæ morbum fovere possunt, abstineant ægri ab usu

usu alimentorum solitorum, acidorum, crudorum, omnis generis, sed præsertim à mœrore, contentione animi, cœterisque vehementioribus pathematis, atque eâ methodo polypum incipientem absque Chirurgi auxilio curari posse ut cæteri solent tumores, ratio & experientia comprobat.

2°. Verum uti polypus multum increvit, internam therapeiam eludit, chirurgicè tractari debet nimirum vel medicamentis, vel ligaturâ, vel extirpatione. 1°. Medicamenta quibus oppugnandus est polypus diversa proponunt magni nominis practici. Principio etenim tumorem, dum adhuc exiguus est, discutiendum sentiunt, vel astringentibus & exsiccantibus, ut sunt succus malorum punicorum, poma austera, rosæ rubræ, balaustia &c.; talia præparata, cerusa, lithargyrus, aliaque, si tumor mollis sit; vel si durus, ac renitens, emollientibus cum resolventibus permixtis ut medullâ, & pinguedine animalium cum gummis variis ex quibus linimenta conficiuntur.

Sin autem tumor notabilis sit vel memoratis topicis constanter resistat caustica, seu escharrotica in usum vocanda jubent Authores plurimi, imprimis si polypus sarcomatis naturæ particeps sit, si mollis, si difficilè admodum abscindi queat, ejusque basis latior sit, quo etiam in casu à mitioribus incipienda consumptio sensim progrediendo ad fortiora, in hunc finem plurima laudantur medicamina videlicet alumen ustum, calcanthum, chalcitis, unguentum ægiptiacum, æs viride, præcipitata varia ex mercurio parata, succus radicis dracunculi, vel ari as-

tringente quâdam, aquâ putà plantaginis temperatus, oleum vitrioli, lapis infernalis, butyrum antimoniale, aqua fortis &c. quæ quidem topica nunc sola, nunc verò aliis admixta remediis iterato polyposæ excrescentiæ admovenda sunt sub formâ unguenti, emplastri, pulverum, donec tandem illa radicitus assumpta fuerit. Intereà tamen advertendum maximè ne sanæ narium partes lædantur, atque adeò priusquàm adhibeantur caustica, operæ pretium est vel unguento quopiam munire intùs nares, vel tumorem circumcingere duobus emplastris quæ inter polypum, & nasi internas parietes interjecta narium cartilagines à caustici corrosione immunes servent, vel postremò (quod tutiùs est] fistula argentea, cujus ope eschartotica polyposum dumtaxat tumorem attingunt.

2°. Alii præcipiunt ut ligetur circà radicem filo serico duplicato, cerâque obducto quo marescens pediolus sponte decidat, verùm hæc operatio difficilis omninò est, ne dicam impossibilis præsertim dum polypi basis altiùs inhæret.

3°. Superest exponenda breviter polypum extirpandi methodus, quæ cæteris ùt potè facilior, tutiorque anteponenda, maximè si polypi basis angusta sit, præmissâ itaquè venæ sectione unâ aut alterâ, ut tollatur plethora, & hæmorrhagia præcaveatur, præmissis quoque levioribus catharticis, juscula diluentia, & leviter aperientia, deincepsque si per tempus liceat, chalibeata præscribenda sunt, pro variâ ætate, temperie ægrotantium variâ, atque tum his, tum conveniente vitæ regimine

præparatus æger, electâ die, ac tempestate serenâ in sedili collocandus est lumini adversùs & capite retrorsum demisso, quo in situ inductâ forcipe ad hoc opus fabrefactâ pluribus in modum limæ instructâ scrobiculis & eminentiis, ut meliùs & fortiùs apprehensas carnes stringat, arreptus tumoris pediolus, & altius quam fieri potest, evellendus est, & extrà nares educendus manum semicirculariter versando.

Quod si polypus non omninò avulsus fuerit ejus pediolus deligetur, deniquè iterum educatur, novâque injectâ ligaturâ tandem lanceolâ, aut forficibus exscindendus est, idque infrà ligaturam ob hæmorragiæ periculum, quam licet rarò, ingentem adeò fuisse Authores quidam referunt, ut æri vitam cum sanguine effuderint.

At si polypus omninò extractus fuerit; finitâ operatione hæmorrhagia sistenda, si adsit, linamentis in nares immissis & dissoluto vitriolo, vel aquâ stipticâ imbutis, sin minus ut sœpè fit, sanguis non effluat, vel implendæ nares penicillis, aut linamentis quæ pulvere aliquo exsiccante, V. G. tutiâ, lythargyro, cerusâ & similibus respenguntur, vel quod simplicius est, alumen ustum identidem expirationis tempore insufflandum, quo solo medicamine polypi radix ex toto consumitur, novaque ejus genesis præpeditur.

Evellendus quoque ferro sine cunctatione polypus, si retrò ad imas fauces descendat, easque ità obturet ut impendeat strangulationis periculum, quod quidem ex voto quandoque successisse fidem faciunt Chirurgi neoterici peritissimi.

Deniquè quandò polypus dolet, & ad

cancri naturam vergit, ità monente celso; & docente experientiâ attingi non debet, sed palliativâ curâ tractandus, nempè exteriùs topicis anodynis, & leviter siccantibus quibus palmam præripit succus solani cum tutiâ pulveratâ permixtus, interiùs verò lacticiniis, cœterisque sanguinem demulcentibus.

ARTICULUS IV.

De fætore Narium.

QUid fætoris nomine intelligi debeat, satis patet quam ut accuratâ definitione opus sit, odor enim teter ac fœtidus qui inter expirandum ab ægrorum naribus emittitur, & quo astantium, & colloquentium nares graviter afficiuntur, morbum hunc constituit, & apertum facit, cæterorum morborum potiùs simptoma est quam morbus per se, & ut vulgò aiunt essentialis, atque neutiquàm ab œgris, sed ab astantibus sanis percipitur.

DIFFERENTIÆ.

Cum hic quæstio sit dumtaxat de fætore narium non autem de fætore oris qui vel ex gingivarum, vel dentium, imarum faucium, pulmonis, ventriculi, aliarumvè partium vitio dependet, sequitur non ex recensitis partibus differentias hujus morbi petendas esse, sed potiùs ex diverso narium loco affecto, vel ex diversâ causâ fætorem inducente.

Sub 1°. Respectu fætor narium alius externus, alius verò internus dici potest; quia

nunc externæ narium cavitas, nunc verò varii, & interni ſinus qui in nares dehiſcunt, labefactantur.

2°. Multiplex quoque futura eſt fætoris narium ſpecies quæ diverſam curandi methodum expoſtulat, prout fætor à polypo, aut ſarcomate, aut ab ulceratione, vel ab oſſium carie, vel à ſimplici mucoſi excrementi hærentiâ &c. ortum ducit, quæ infrà clariùs eluceſcent in eruendis cauſis.

CAUSÆ.

Quoniam vel aer à male olentibus expiratus ſimilem aſtantibus odorem inferat quem inferre ſolent corpora fætida, & graviter olentia, neceſſe eſt ut ille ſimilibus miaſmatis oneretur iis quæ à putridis, ac ſtercoroſis elevantur, quæ tenuiſſima quidem, ſed acria, ac multùm evoluta potenter & injucundè membranam pituitariam feriunt, planum eſt aerem ex ægrorum naribus emiſſum expirationis tempore corpuſculis pariter tenuiſſimis, mobiliſſimiſque, ſed acribus, & valdè extricatis coinquinari quæ ſimili modo ad aſtantium nares perducta, & ab iis inſpirata organum olfactus moleſtè afficiant.

Hæc autem corpuſcula talem indolem obtinebunt duplici de causâ, vel ſi mucus in naribus ſecretus putreſcat, & corrumpatur vel ſi cum ipſo putrida miſceantur fluida.

1°. Mucus in externâ narium cavitate, vel ſinubus contentus putredinem concipiet ob moram quam trahet (motus enim vitalis puttredini obſtat) vel ex polypo ſarcomate, grumo ſanguinis indurato, muco viſcidiori, cæteriſque nares obturantibus, & ſecretio-

rem muci continuam inhibentibus, vel ex corysâ in quâ obstructis glandulis membranæ pituitariæ muci effluxus cohibetur, vel ex inflammatione narium, aut sinuum qui in easdem exonerantur, vel deniquè ex præternaturali narium angustiâ, ut in simis quandòque accidit, ex quibus omnibus causæ fætoris narium remotæ eruendæ sunt.

2°. fluida putrefacta quæ possunt mucum alioquin bene constitutum inficere, sunt pus, vel sanies, undè pariter colligitur ulcus narium præsertim inveteratum quod ozæna dicitur, vel cariem ossium quibus prædictæ narium cavitates circumcluduntur inter remotas hujusmodi causas esse recensenda. Polypus ergò sarcoma, narium inflammatio, hæmorrhagia, depressio nasi, frigus externum mucum inspissans, corysa, ejusque causæ variæ mucum retinendo, ejusque putredini ansam præbendo, ulcus vero narium, & ossium caries suppeditando purulenta miasmata fætida quœ muco admiscentur, fætorem narium remotè allatura sunt in cuilibèt attendenti notum est.

SIMPTOMATA.

Plurima in medium afferri possunt fætori narium simptomata prout illæ à variis causis dependet. Verùm cum non sint huic morbo propria, sed potiùs ad alios affectus pertineant quorum fætor narium sobolescàt, id circò de his explicandis parum solliciti ad diagnosim propè ramus; interim tamen hoc unum advertendum est, videlicèt ægros ipsos fætidum odorem quo graviter afficiuntur adflantes, non percipere. Atquè adeò

morbum astantibus magis quam ægrotantibus molestum esse ac importunum, cujus phænomenis ratio indè deduci posse videtur, vel quod corpuscula grave olentia in ægrorum naribus, multò magis irretita, strictiùsque commixta irritationem pariant quam ubi semel ab expirato aere abrepta ad nares adstantium proveniunt, quas fortiùs proindèque injucundè feriunt, vel quod membrana pituitaria in ægris ut ut graviter à talibus miasmatis succussa, & contracta veluti quadam hebetudine molestam irritationem quatenùs assuetam non sentiat, vel deniquè quod nervea organi olfactorii fibrillæ impares evaserint suscipiendis corporum odoriferorum impressionibus, iisdemque ad cerebrum transmittendis, quo in casu aboletur olfactus.

Cur autem fætidus ille odor apertis ægrorum naribus continuò percipiatur, & verò si iis clausis expiratus ex ore aer prodeat, quilibet colligere ex dictis facilè potest.

DIAGNOSIS.

Fætor in genere ab adstantibus facilè percipitur, dignosces an ex naribus prodeat, si iis clausis evanescat, apertis verò redeat, si semper apertæ fætent nares, sivè post, sivè antè pastum, ac demùm si præcesserint morbi muci narium putredinem inducentes, coryza diuturnior, sarcoma, ulcus narium, cancer, exostoses, an ex ore fætidus odor exhalet judicabitur ex inspectione factâ, vel gingivarum quæ exulcerantur ut in pthialismo, & scorbuto, vel dentium quæ carie tentantur. quæ quidem vitia tum propriis signis, tum ipsis sensibus deteguntur, ac deniquè

expiratus aer ab ægro grave oleat ob pulmonis; tracheæ arteriæ, aut ventriculi labem ex ſignis hanc indicantibus perſpicuum fiet.

Variæ cauſæ fætoris narium, ſeu potiùs affectus varii qui talem fætorem antecedunt ſua habent ſigna peculiaria quibus diſtinguntur, ſic hæmorragiâ effuſione ſanguinis, coryſa involuntario muci profluvio, ulcus pure, oſſium caries ſtillante ſanie putridâ innoteſcit. Polypus, ſarcoma, & prava naſi conformatio, ſeu depreſſio nimia viſu patent.

PROGNOSIS.

Hinc morbus in genere gravis & moleſtus eſt, & generis humani ſocietati infenſus. Verùm pro cauſarum varietate varianda prognoſis, ſi à vitioſâ naſi conformatione natales ducit inſanabilis cenſendus eſt; qui ab oſſium infimos narium ſinus efformantium carie producitur, non modò curam non recipit quia convenientia remedia huic applicari nequeunt verùm etiam vitæ diſcrimen adjunctum habet. Idem ſentiendum de fætore qui cancrum narium ſequitur. Deniquè dum effectus eſt ſarcomatis, polypi, hæmorragiæ, ulceris, aliorumque morborum, idem portendit periculum ac morbi enumerati; rursùs qui ſimplicem muci narium hærentiam agnoſcit, faciliùs curatur, inveteratus verò qui majus vitium ſupponit difficiliùs.

CURATIO.

Quandoquidem narium fœtor effectus eſt ſymptomaticus. Sequitur hunc ſimili prorsùs curandi methodo oppugnandum fore quâ vi-

tia prægressa quibus pendet debellari solent; proindèque vel adhibenda esse remedia in polypi curatione, & hæmorragiæ narium proposita, vel ea quæ corysæ conveniunt: vel denique ea quæ in sequentibus de ulcere & cancro narium sanandis allaturi sumus, quibus hic recensendis supercedere juvat, ne actum agamus hoc unum annotasse in præsenti satisfit, nempè ubi malum est immedicabile omni ope vetendum esse ut teter narium odor si non ex toto depellatur, saltem aliquatenùs tolerabilis sit, minoremque adstantibus molestiam afferat, quem in finem pulveres odorati, aut errhina suave olentia identidem naribus inspiranda sunt, vel corpus unguentis & pastillis inungendum, hinc proverbialiter à Poetâ dictum in eos qui prætiosis unguentis utebantur, ut gravè olentiam odoribus temperarent.

Non benè semper olet, qui benè semper olet.

ARTICULUS V.

De ulcere & Ozænâ.

CONstat nares sicut & cæteras corporis partes exulceratione affici, vel ob prægressam inflammationem quæ in suppuratum abiit, vel ob disruptum abscessum, simplex dicitur. Hæc exulceratio quandò recens est dùm verò inveteratum est ulcus, putridamque effundit saniem ozenæ nomine ab authoribus designatur.

DIFFERENTIÆ.

Ex jàm dictis liquet ulcus narium in genere

duplex esse, aliud recens, aliud inveteratum, quod ozæna dicitur, rursus utrumque varias patitur differentias pro natura puris effusi, causâ morbificâ, & morbi sede.

1º. Pro naturâ puris purulentum, vel saniosum, vel fistulosum, vel cancrosum vocabitur, si pus coctum & laudabile, vel sanies putrida è naribus dilabatur, si cuniculos egerit, vel si augescens ulcus partes depascatur.

2º. Pro varietate causæ morbificæ venereum, scorbuticum, strumosum dici poterit, si à lue venereâ, scorbuticâ, aut scrophulosâ originem trahat.

CAUSÆ.

Cum ulcus narium simplex & ozæna non differant inter se essentialiter sed tantùm penes ulceris durationem, diversamque partium affectarum labem, sequitur statim eamdem esse utriusque causam proximam, nunc remissionem, nunc verò intensionem, inquirenda itàque simplicis exulcerationis causa proxima, quâ detectæ ozænæ causa pariter obtinebitur; quoniam verò ulcus nihil aliud est quam vetusta continui solutio cum affusione puris, neque pus alio modo effundi posse certum est, nisi vel a ruptâ abscessus cystide pus contentum eliminatur, vel quia idem pus genitum in vasis ruptis partis cujuspiam inflammatæ viam sibi parat per aperta vasorum extrema in lacinias divisa, duplicem futuram esse ulceris narium causam proximam consequens est, vel rupturam abscessus in membranâ pituitariâ geniti, vel præviam ejusdem membranæ inflammationem.

Abscessus membranæ pituitariæ ulceri narium ansam præbere poterit si glandula quæ-

dam dictæ membranæ inflammata, ac deìn suppurata illapsi puris effluxum cohibeat, sensimque ac sine sensu à collecto intus pure turgescat, vel si eadem membrana phlegmone affecta genitum pus in vasorum intertiliis reconditum aggregatur, quod quidem licet rarò admodum superveniat, quandoque tamen fieri posse probabile est tùm ex cognitâ naturâ glandularum quæ ad membranam pituitariam pertinent, tùm ex vasorum sanguiferorum numero quæ per illam disseminantur, inflammatur verò membrana narium ab iisdem causis à quibus ophtalmiam, cæterasque inflammationes produci constat quas hic enumerare supervacaneum foret; causæ aliæ sunt externæ, aliæ internæ; externæ sunt ictus, casus, vulnera; internæ plurimæ afferri possunt, nempè 1°. ruptura abscessus, 2°. Si ossa narium carie afficiantur, serpatque vitium ad membranam pituitariam quam simili labe inficiet ut in lue venereâ; 3°. Si inflammatur membrana pituitaria ut à causis omnibus corysæ, sed majoris efficaciæ, muci nempè hærentiâ comprimentur vasa sanguifera, eaque rumpentur. 4°. Erodetur à muco acriori, 5°. Ab inspiratis miasmatis, nempè ab subfumigio cinnabaris, & mercurio vide *Sennertum* in observatione tertia.

SIMPTOMATA.

1°. In recenti ulcere narium pus lymphaticum ac laudabile profluit qui à plurimo muco oneratum eâ proportione foras dilabitur, quâ generatur nec satis hæret in narium sinubus ut indolem corrosivam adipiscatur, contra verò in inveterato sordidum pus, fæti-

dum, virulentum, ac corrosivum est, quia ob moram acrius evadit, & velli candis, exedendisque partibus solidis idoneum.

2°. Pro variâ ulceris naturâ nunc ejus labra ab aggesto sanguine tument, & inflammata dolent, præsertim si suppressa sit, aut para suppuratio, nunc verò si partes exulceratæ detumescant, &, magnam affundant puris copiam, nullus dolor aderit.

3°. Non possunt intumescere ulceris labia quin vascula quædam sanguifera nimium turgida disrumpatur, ac cruorem fundant, qui cum pure permixtum liquorum sanguineum constituit è naribus ulceratis, quandoquè manantem, ex eodem fonte hæmorrhagia est repetenda.

4°. Ulcera narium si negligantur, aut inveterata fuerint more cœterorum ulcerum fungosas carnes producunt, quibus succrescentibus sarcoma succedent. Quod nunc album erit molle & indolens, nunc rubrum summe dolens ad lividum pro sanguinis aut lymphæ hærentiâ.

5°. Sarcoma non potest in naribus generari quin illæ obturentur, atque inhibeatur liber aëris ingressus, ergò difficilis respiratio futura est ore clauso.

6°. Dissipatis tùm partium calore, tùm expiratis aëris motu particulis puris tenuioribus quæ supererunt partes crassiores viscido muco narium adjunctæ crustam efficient ut in herpete, aut scabie, undè ulcus; hæc autem crusta quæ sicca & nigra est, quandoque violento acris expirati motu decidit, & foras emungendo ejicitur.

7°. In ozænâ pus ob moram acrius factum & corrosivum vicinis partes exedet vel mole

suâ,

suâ, vel quantitate fibrillarum membranæ pituitariæ interstitia partiumque ossearum texturam subibit ; ergò duplici hâc ratione ulcus cuniculos aget, & fistulosum evadet.

8°. Quin imò pus crescente ejus acrimoniâ magis ac magis partes depascitur, & cancrosum fiet, tuncque vel pennas narium vel intermediam nasi cartilaginem erodet, vel ossa carie tentabit ; hinc fœtida profluet sanies quæ adstantes & colloquentes tetro, gravisque odore afficiet.

9°. Quod si quadrata palati ossa quæ ad expirati aeris modificationem in loquelâ plurimùm conferunt, cariosa consumantur, non poterit vox expressa distinctaque ut decet pronuntiari, sed potiùs incongruus quidam sonus inter loquendum redditur ranarum coaxationi similis.

10°. Tandem olfactus abolebitur ; vel sarcoma crustasvè ulcerum quibus externa narium cavitas obstruitur, & aditus aëris ad internos sinus denegatur, vel ob malè affectam membranam pituitariam inflammatam nempè & errosam, quo fit ut aër ingressus vel nimis tensos nervos olfactorios succutiat vehementius quam par est, vel consumptas & eroses attingere nequeat.

DIAGNOSIS.

Ulcus narium ex effusione puris per nares manifestum est, ulcus continui solutio vel nullo dolore, vel exiguo stipata simplex ulcus ac recens, inveterata autem eadem continui solutio cum dolore & narium graveolentia ozænam denotat. Ulcus mundum pus laudabile, sordidum verò ac virulentum saniem

ſuggerit fætidam, & brevi oſſium cariem advocat. Cancroſum tùm ex ratione puris, tum ex carie, tum ea ulceris progreſſu, celeri partium conſumptione indicatur, externum viſû patet. Internum ex puris profluvio, & ex cruſtarum prolapſu dignoſcitur. Deniquè an ſcorbuticum ſit, venereum, aut ſtrumoſum conjicies ex horumcè morborum ſignis, & ex ægrotantium relatu; cœteræ cauſæ antecedentes, & remotæ ægros, vel adſtantes interrogando facilè innoteſcere poterunt.

PROGNOSIS.

Ulcus narium in genere periculoſum eſt, quia cum earum membrana mucoſo humore continuo irroretur, exulcerari non poteſt, quin ob laxitatem contractam fungoſæ ſuccreſcant carnes cicatriſationi plurimum officientes, imò ſæpè in cancrum degenerat, ut experientiâ compertum eſt, inſuper ab authoribus ſuſpectum habetur, quod plerumque à viru ſyphillitico ortum ducat.

Cum in externo narium ulcere topica remedia admoveri queant quibus abſtergatur, ſecus verò in interno, ſequitur internum externo difficilius multò curam admittere.

Ozæna ſeù ulcus inveteratum recenti periculoſius. Pus enim in hoc eſt laudabile corroſionis expers, neque gravia infert ſymptomata, qualia ſunt inflammatio partium vicinarum, dolor, oſſium caries; in ozænâ verò pus fætidum eſt. Partes exulceratæ dolorem excitant fiſtulas producunt & cariem. Omnium peſſimum eſt cancroſum & phagedenicum quandò non modo reſiſtit remediis, ſed exaſperatur, atque hinc eſt cur futurum brevi cancrum in narium exulceratione ſignificet inutilis remediorum adminiſtratio.

Poſtremò eadem eſt ulceris narium prognoſis ac luis venereæ ſcorbuti, ſcrofularum quibus aliquandò ſupervenit, ità ut ſi hæ affectiones recentes fuerint, ulcus conve- nientibus auxiliis debellari poſſit, ſin verò è contrà altiùs radicatæ eorum actionem eludat.

CURATIO.

Cum eo tendere debeat generalis ulcerum curandi ratio ut humorum acrimonia quæ ex miſcelâ puris cum ſanguine proficiſcitur de- mulceatur reſtituaturque nativum ſanguini balzamum. Patet id præcipuè agendum in ulcere narium quod cæteris quibuſcumque ulceribus ſanandis competit, quapropter ſectâ venâ ſi neceſſe ſit ad dolorem compeſcendum, & inflammationem labrorum ulceris præca- vendam, aut minuendam, præmiſsâque blandâ catharſi, ut latens impimis viis ſaburra evellatus & ſanguinis imprimis quibus inficitur partibus depuretur. Diæta imprimis ſervanda eſt eaque demulcens ægris præſcri- benda.

In hunc finem uti oportet cremoribus oriſæ, hordei, amygdalatis, lacticiniis, imò ſolo lacte pro omni cibo utentur, falſamenta omnis generis, & ea quæcumque humorum motum adaugent, ut exercitia immodica ve- hementia animi pathemata, indomita venus, vigiliæ, liquores ardentes, imò & vini uſus &c.

Tùm quoque ſimptomatisoccurrendum eſt, ſi quæ ſæviant, nempè adſtringentia uſurpanda ſi hæmorragia narium adfuerit, ſi vigeat dolor, narcotica & ſic de cæteris &c.

Inſuper cauſæ variæ oppugnandæ ſunt quæ

ulceri natales dederunt, vel illud etiam non fovent, undè investigandum sedulò num ex venereo, aut scorbutico ulcus narium processerit, quod si ità sit, his vitiis mederi convenientibus remediis expedit; topica quod spectat, ea non negligenda sunt, si ulcus externum sit, nam in interno vix quidquam prodesse possunt, cum ad infimos narium recessus pervenire nequeant, ea autem pro variâ ulceris naturâ varia adhibentur

Si ulcus simplex fuerit 1°. detergentibus abluendum videlicèt decocto hordei, aut plantarum detergentium cum tantillo mellis rosacei, aut narbonensis, unguento de hyperico, cærusâ, lythargiro, decoctis variis ex radicibus tormentillæ, agrimoniæ, pentaphilli, foliis verbenæ, laphati, plantaginis, floribus rosarum rubrarum, balaustiis, paratis. Quo etiam in casu maximè commendantur aquæ bellilucanæ vel injectæ, vel inspiratione attractæ, deniquè si hæc topica inania fuerint præstat fortiora his adjicere, nempè plumbum ustum, alumen &c.

Si ulcus crustosum fuerit auferenda est crusta, & emollienda priùs butyro non salito, oleo ovorum, amigdalarum dulcium, vel melle, denique non vi, sed spontaneò naturæ nisu sublatâ ulcus tractandum modo jàm suprà exposito.

Si ulcus inveteratum sit potentiora remedia tùm detergentia, tùm exsiccantia admovenda sunt ut decocta vulneraria, aqua aluminosa, aliaque quibus addenda jubent authores varii scharotica quædam, qualia sunt æs viridè, unguentum apostolorum, ægiptiacum &c. sic quoquè sublimatum corrosivum in aquâ plantaginis dissolutum laudat Rive-

RIUS, RONDELETUS auri pigmenti & cynnabaris ſuffumugium PLATERUS; quam viridem ex ærugine æris, & auri pigmento confectam.

Deniquè ſi ozæna cancroſam adepta fuerit naturam, nullis cedit remediis, iiſque potiùs exaſperatur, & ſi quæ doloris mitigandi causâ conveniant, tùm maximè anodina & demulcentia inter quæ oleum avorum primas partes tenet.

ARTICULUS VI.

De Sternutatione.

JAm de concitato reſpirationis motu cui ſternutatio accidit juxtà authorum conſuetudinem acturi, in ipſo limine monere volùmus ſternutationem inter morbos annumerandam non eſſe niſi nimia ſit, diuturnior, & à causâ manifeſtâ ac levi oriatur, ut ab inſpirato tabaco helleboro, aliiſque membranam pituitariam leviter irritantibus, à calore ſolis, aere frigidiori, ſi morborum declinationi, ſi convaleſcentiæ, ſi morbis etiam ipſis adhuc in ſtatu vigentibus in quibus natura veluti oppreſſa eſt, ſuperveniat, ad partum facilitandum, ad fæcundinas expellendas, ad ſedandum ſingultum, aut è morborum catalogo excludendam, aut pro ſalutari ſimptomate habendam eſſe fatendum eſt.

Quamobrem ſternutationis nomine hic intelligimus celerem hanc, violentam, & ſonoram expirationem poſt magnam inſpirationem ſubitò factam quæ nimia & frequens diu-

turna à gravi narium irritatione oriunda quâ natura causam morbificam in naribus latentem conatur excludere.

Quamvis autem instrumenta respirationis ad hunc motum inordinatum peragendum sola efficienter concurrant, quemadmodum & in tussi, oscilatione, nihilominùs tamen sternutationem inter narium morbos recensere juvat ob vitium membranæ pituitariæ sine quo provocari minimè potest.

DIFFERENTIÆ.

Quoniam sternutatio alia sola invadit absquè ullo alio præcedente morbo, alia aliis morbis succedit, iisque adjungitur; prior idiopatica, posterior simptomatica dici potest. Rursùs institui posset sternutationis differentia ratione causæ, nunc enim ab externis causis, nunc ab internis producitur.

CAUSÆ.

Quoniam ad sternutationem requiritur, ut consequenter ad magnam inspirationem fiat expiratio subita, vehemens, ac sonora, uti modo dictum est, sequitur statim causam ejuscè motus proximam consistere in celeri, validaque musculorum expiratoriorum contractione quâ copiosus aer è pulmonibus expulsus varias in palato, internâque nasi cavitate collisiones patiens strepitum excitat, verum de hujusmodi causâ parum solliciti morbificam alteram licèt remotiorem examinare placet quæ in naribus residet, & ad quam potissimum attendendum est ut inordinatus ille motus cohibeatur; talis autem causa est

narium irritatio ut liquet ex inductâ pluma in nares, ex insufflatis, aut inspiratis medicamentis acribus, errhinis scilicèt, vel sternutatoriis quorum irritationem sternutationis motum sequi paulò post neminem latet, indè infertur sternutationem per consensum nervorum fieri, & ex lymphatico oriri spirituum influxu in nervos musculis inspiratoriis prospicientes, quibus validè contractis uberrima aeris copia intrà pulmones recipitur, mox velocissimè subsequente valido expirationis motu emittenda ad hoc ut ea quæ membranam narium sensu exquisito prædictam stimulant fores educantur, paria simpathiæ habemus exempla in tussi, pandiculatione, oscilatione; aliisque motibus simpaticis.

Quæcumque igitur membranam pituitariam irritare valent causæ sternutationis censendæ sunt, hæ autem sunt vel externæ vel internæ, inter externas numerantur sternutatoria acriora, qualia sunt helleborus, pyretrum, euphorbium, aliaque plurima, præsertim si immoderatus sit eorum usus, internæ verò sunt ea quæcumque membranam tendunt pituitariam, eamque reddunt impressionibus aeris inspirati suspiciendis aptiorem, hinc est cur in corysâ obstructis vasis muccum excernentibus, compressisque vasis sanguiferis sternutatio persæpè contingat. Hinc similiter ob majorem & quasi phlogodeam prædictæ membranæ tensionem, sensumque acutiorem sternutatione solent febricitantes affici; cæteræ causæ remotiores ex iis quæ jàm superiùs dicta fuerunt de corysâ vel ex iis quæ ad inflammationis theoriam pertinent, repetantur.

SIMPTOMATA.

1°. Capitis dolor, ſternutationis continuæ ac morboſæ comes eſt, tum quià ſanguis ſtagnat in cerebro, ob eamdem cauſam ob quam retinetur in membranâ narium, eamque irritat, ſicque vehementer capitis vaſa & dolorificè diſtendit, tum quia ex concitato ſpiritu reditus ſanguinis à cerebro ad cor inhibetur, cumulatoque ſanguine aggravatur cerebri ſubſtantia, atque hinc eſt cur epilepſiam cæteroſque affectus ſternutatio perſæpè prænuntiet.

2°. Sternutatio à causâ internâ nempè ab hærentibus in membranâ pituitariâ humoribus, quandoque producitur, quibus congeſtis comprimendæ ſunt glandulæ muci narium ſecretioni dicatæ, ejuſdemque liquidi intercipienda ſecretio, ſed ex præpeditâ muci ſecretione gravedo debet excitati, uti ſuo loco dictum eſt, ergò ſternutatio à causâ internâ oriunda gravedine ſtipabitur, quod profectò experientiæ conſonum eſt, quâ conſtat catharum ſternutamentum antecedere.

3°. In ſternutatione aſſiduâ debilitantur vires, tum quod ex vehementi pectoris concuſſione, validâque contractione muſculorum expiratoriorum magna fiet ſpirituum diſſipatio, tum quod interturbato ſanguinis per pulmones circuitu cordis, & arteriarum pulſationes langueant.

4°. Aer in ſternutantibus cum ſono & impetu ejicitur, validaſque patitur colliſiones in narium lateribus quæ idcircò violenter concutit, quod fieri nequit quin vaſa membranæ pituitariæ diſtrahantur, ac diſtracta

rumpantur, contentumque ſanguinem effundant; hinc narium hæmorrhagia.

5°. Sternutantis abdominalia viſcera ſubitò multùmque comprimunt, ſed ex hâc ſubitaneâ, validâque compreſſione inteſtina, cæteraque abdominis viſcera obicem in inguinibus, umbilico factum augere debent, ergò in varicoſis tumor ſternutando increſcet.

6°. Deniquè celeri expirationis motu ſanguis in pulmonibus concluſus ad cor per ramulos venæ pulmonalis incredibili cum velocitate pulſus eos prætergredi non poterit, & ad ejuſdem venæ truncum totum perduci, hinc hærere cogetur in pulmonum ſubſtantiâ, undè non mirùm ſi pulmonum, & pectoris morbis adeò infeſta ſit ſternutatio frequens.

DIAGNOSIS.

Sternutatio per ſe patet, diſtinguitur à tuſſi quæ ſonora eſt ac vehemens expiratio; quod ſonus diverſùs ſit, atque ex palato & ore in tuſſi prodeat, ſecùs in ſternutatione ſtrepitus in naribus excitentur, interrogato ægro idiopathicam à ſymptomaticâ haùd ægrè dignoſces. Similiter an à cauſis externis ſternutamentum oriatur deſignat cauſarum externarum præſentia, abſentia verò earumdem & ſigna vitiis narium propria cauſas internas eſſe arguunt.

PROGNOSIS.

Sternutatio morboſa in genere non eſt periculoſa per ſe, quia nec gravibus ſtipari ſolet ſymptomatis, nequè functiones multùm lædit, imò ſalutarem quandòque eſſe docet experientia videlicèt. 1o. In apoplexiâ, aliiſ-

que ſoporoſis affectibus quatenùs ſpirituum influxum majorem advocat, concuſſoque nervoſo ſyſtemate cerebrum ab infarctu liberatur, atque hinc eſt cur ſternutatoria proſint ad quemcumque ſoporem præter naturalem excutiendum.

2°. Eodem ratione in affectione hiſtericâ mulierum quæ dùm jacent veluti mortuæ ſternutando reviviſcunt.

3°. In partu difficili, & ſecundinarum retentione, quia ſubito contractis muſculis abdominalibus, præſſoque utero fætus & pluentæ excluſio promovetur, undè ait hypocrates aphor. 35. ſect. quinta mulieri uteri ſtrangulationem patienti, aut difficulter parienti, ſi ſternutatio ſupervenîat *bonum*.

4°. Denique in convaleſcentiâ, imò & in ipſo morborum ſtatu, quia non modò indicat naturam parum opprimis, quin potiùs vires vel refectas, vel adhuc ſatis conſtantes eſſe.

Interim tamen aliquandò nocet 1o. in plethoricis, & in morbis pulmonum pleuritide nimirum, & peripneumoniâ, quiâ ex violentâ, ſubitâque pectoris conſtrictione metus eſt ne ingurgitentur adhuc magis vaſa ſanguifera præſertim pulmonis & pleuræ; ſicque ulterius diſtracta, & copioſiori ſanguine turgida magis inflammentur.

2°. In hernioſis propter adauctam partis affectæ anguſtiam denique ſi diuturnior fuerit, & immodica vires frangit, cephalalgiam producit, & narium hæmorrhagiam quæ quidem ſimptomata poſſunt mala multò adhuc graviora accerſere.

CURATIO.

Eo potiſſimum verſatur ſternutationis curatio ut irritatio membranæ pituitariæ tollatur,

quod ut fiat inquirendum est statim an causa interna sit, vel externa.

1°. Si causa externa sit illa removenda est quàm primùm, quo peracto si non desinat sternutatio mitiganda est inducta narium irritatio oleosis ac demulcentibus, nempè oleo amigdalarum dulcium sine igne parato, oleo olivarum recenti, oleo rosàceo, violaceo, mucilagine seminum psilli, aut cydoniorum, aquâ rosarum extractâ, butyro non salito, lacte dulci, ac tepido, aliisque similibus in nares introductis, vel laxanda membrana narium excepto aquæ tepidæ, vel alicujus decocti emollientis odore.

2°. At verò si causa intùs lateat, prout varia est, varia institui debet medendi methodus, nam si sternutatio febris symptoma sit, si curatâ febre discutiatur, si à caharro, aut ulcere narium producatur, tunc ea prosunt medicamina quæ in corysæ aut osenæ curatione proposita sunt, verbo dicam quotiès à quacumque causâ internâ augetur tensio membranæ pituitariæ, ejusque vasa ingurgitantur, evacuantia, venæ sectio scilicet & cathartica mira præstant, non neglectis interim topicis prædictam membrananm laxantibus, ejusque irritationem compescentibus suprà enumeratis.

CAPUT IV.

De morbis linguæ.

CONstat ex anatome linguam partim esse musculosam plurimis confectam papillis

nerveis, ac prominentibus quæ tùm motu suo loquelæ, cibis in ore hùc illùcque volutandis, exprimendo salivali liquido ac deglutitioni masticorum alimentorum inservit, tùm apicibus suis nerveis sapidorum corporum impressionibus suscipiendis potissimùm mancipatur. Hinc liquet plurima recenseri posse linguæ vitia, seu totidem morbi in quibus variæ enumeratæ functiones læduntur, verùm cum ex iis alia pertineant ad thoracis morbos ut angina, alia ad morbos abdominis ut cibi fastidium, ex consueto silebimus, & caput istud duobus dumtaxat articulis complectemur in quorum primo acturi sumus de linguæ tumoribus, in secundo de linguæ paralysi.

ARTICULUS I.

De variis linguæ tumoribus.

LIngua non secùs ac cæteræ corporis partes multiplici tumore præternaturali quandoquè afficitur, inflammatione nimirùm, erysipelate, œdemate, schirro, aliisque sæpè invicem complicatis, prout vel sanguis, vel lympha, vel utraque simul ejus in contextú hærent, & cumulantur, verùm cum eorum tumorum æthiologia ad Chirurgiam spectet, in ejus inquisitione tempus conterere nec vacat, nec libet, quippè quæ in tractatu chirurgico, vel ex his quæ suprà dicta sunt de morbis aliorum organorum externorum facilè possit repeti.

DIFFERENTIÆ

DIFFERENTIÆ.

Horum tumorum eædem ſunt ac cæterorum qui in aliis partibus ſuboriuntur differentiæ, adeòque has, ne actum agamus, prætermittendas cenſemus.

CAUSÆ.

Plurimæ ſunt cauſæ peculiares quibus in hâc parte tumor exurgat nempè.

1°. Morbus linguæ tum inter maſticandum ut helluonibus contingit qui præ nimiâ edacitate celeriùs manducantes linguam inſcii & imprudentes convulnerant, tum ex ſpaſmo mandibulæ inferioris dum lingua everſa eſt, ut epilepticis paroximi tempore contingit, qui dein poſt inſultum nedum expeditè loqui valent, quia potiùs ore læſo verba frangere neceſſe habeant.

2°. Nimiâ hidrargiroſi ut olim frequenter exponebantur lue venereâ infecti quibus totum corpus primâ vice inungebatur, vel ut adhuc dum experiuntur nonnulli quibus mercuriale unguentum nullo intermiſſo die adhibetur.

3°. Uſus venenatorum corporum putà fungorum quorumdam vel plantarum quæ vi corrodendi prædita ſunt ut ſunt thitimalus, matis urens, ſerpentaria &c.

5o. Deniquè morſus venenoſorum animalium viperæ, ſcorpionis &c. quarum quidem omnium cauſarum agendi modus, vel paululùm attendentibus patet, hoc unum adjicere hic juvat, ſi GALENO fides adhibenda ſit, nimirùm linguam ad prodigioſam mag-

nitudinem aliquandò perduci quæ neque ad ullum tumoris genus revocari, sed ex majori dumtaxat linguæ præ cæteris partibus accretione oriatur, cum laudatus Author asserat tumorem increvisse absque ullo doloris sensu, absque renitentiâ, vel mollitie, nequè œdematis, schirri, erysipelatis, vel phlegmonis speciem retulisse, portentosa autem hæc linguæ moles facilè concipitur supponedo laxitatem vasorum ex quibus lingua contexitur, quâ appellentibus humoribus cedunt, & expanduntut.

SIMPTOMATA.

Præter symptomata aliis aliarum partium communia quibus explicandis supersedemus, nonnulla sunt linguæ tumori propria.

1°. Impedimenta loquelæ cum enim ut vox articulata reddatur debeat aer expiratione pulsus beneficio linguæ ad varias palati partes solidas allidere, tremulosque, ac vibratorios motus edere planum est, si linguæ tumor ejusdem motui obstiterit, loquelam perfici nequaquàm posse.

2°. Ex eodem fonte petitur deglutiendi difficultas, nàm quantum ad ciborum deglutitionem conferat linguæ retractio neminem fugit.

3°. Ut alimenta ritè masticentur in orè debent ibidem volui, ac revolvi, dissolvi à salivali liquido, & subindè dentibus intermixta eorum actioni quasi prælo iterato subjici, sed impedito propter tumorem linguæ motu nec saliva ubertim exprimi è salivalibus glandulis, nec in ore possunt volutari alimenta, & dentibus comminui, ergò in linguæ tumoribus

læditur masticatio.

4°. Hinc dejectionem alimentorum in ventriculo minùs benè perfici consequens est. Cum masticatio coctionis principium sit, aut saltem necessaria ad coctionem præparatio.

5°. Jàm si lingua prætermodum intumescat, constrictâ laringis rimâ liquet aerem per tracheam arteriam in pulmones difficilè ingressurum, undè suffocationis periculum.

Demùm cum in tumoribus linguæ inflammatoriis degustata alimenta, vel alioquin euchima, & per se grati saporis nerveas linguæ papillas magis tensas non blandè, sed molestè & graviter afficiant, debebunt ingratum saporis sensum inducere, undè ciborum accersio, seu fastidium.

DIAGNOSIS.

Linguæ tumor simplici inspectione patet, qualis sit ejus natura ex signis frigidum aut calidum tumorem denotantibus est evidens, causæ deniquè ab adstantibus investigandæ.

PROGNOSIS.

Tumores linguæ in genere magnam ægris molestiam afferunt, quod ut dictum est, & loquelæ & masticationi non parum afficiant, speciatim verò varianda est eorum prognosis, tum pro varia tumorum naturâ tum pro eorum magnitudine.

1°. Si œdematosi sint faciliùs curantur, si inflammatorii aut exulcerati dolorem, febrem, vigilias pertinaces, aliaque gravia inferant simptomata periculosi sunt, si schirrosi, lividi, acriter dolentes, cancri naturam inducant insanabiles censentur.

2°. Si tumor parvus sit nullus est momenti sin autem nimius multum portendit periculum ob læsas linguæ actiones, & præsertim ob imminentem suffocationem.

CURATIO.

Si lingua tumore calido, plegmone nimirum, aut erysipelate afficiatur præmissis diætâ tenui, & venæ sectione plus vel minus repetitâ pro exigentiâ morbi purgandum corpus catharticis levioribus, atquè os gargarismatis abluendum, quibus humores hærentes resolvantur. In hunc finem decoctum hordei cum melle rosaceo, & tantillo aquæ vitæ usurpari solet, vel vinum tepidum aut similia.

Sin verò aut ædemate aut schirro laboraverint misso in antecessum usu aperientium adhibeantur topica quæ his tumoribus resolvendis competunt ex chirurgiâ depromenda, tandem si tumor cancrosus sit, tam internam quam externam therapeiam eludit, ideòque sola palliativa cura convenit ad ægrorum vitam quoad fieri potest protrahendam.

ARTICULUS II.

De linguæ paralisi

DOcet structura linguæ anatomica ambos quinti paris nervorum ramos totidemque ex novi pari deductos ad linguam pertingere qui linguæ sensui, ac motui perficiendis destinantur dum autem utræque, nerveæ-

que propagines ſpirituoſum liquidum ubertim recipiunt, & linguæ ejus muſculis indeſinenter ſuppeditant, dum inſuper nihil aliud in palato, ac cæteris vicinis linguæ partibus ſpirituum diſtributioni afficit ſenſus & motus linguæ naturaliter exerceatur, ſecùs verò ſi lingua tumore aliquo affecta ſit ut ſuprà dictum fuit articulo 1°. Si ranula ſublingua ejus motum impediat, ſi amigdalæ tumeant, ſi doleant, gingivæ inflammentur, exulcerentur ut in ædontalgiâ ptialiſmo, ſcorbuto, ſi lingua aphilis, ſeu ulcuſculis plurimis deturbetur, vel ſi fremulo longiori inferioribus palati partibus annectatur, vel deniquè ſi nervi linguales paralytici fiant futurum neceſſario eſt ut ſenſus motuſque linguæ exercitium labefactetur. Verùm ſingula hæc vitia ſigillatim exponere conſilium non eſt, ſolius linguæaffectionis hicſatagimus quæ nervorum lingualium reſolutionem ſequitur, & paralyſim conſtituit, ut potè quæ à cæteris læſionibus multum diſcrepant.

Quoniam verò per paralyſim in genere nihil aliud intelligimus quam abolitionem, vel imminutionem notabilem motus, aut ſenſus, aut utriuſque in parte vivente, & laxatâ, ſequitur illicò linguæ paralyſim conſiſtere in abolito vel præternaturam imminuto ſenſu linguæ, vel ejus motu, vel utroque ſimul, cum ejus laxitate.

Quocircà monitum volumus nos vitiati linguæ ſenſus æthiologiam conſultò prætermittere quia affectus indè oritur, nempè faſtidium cibi qui inter abdominales morbos à practicis recenſetur, atque de abolito dumtaxat, vel omninò præpedito loquelæ exertitio acturos.

DIFFERENTIÆ.

Linguæ paralyſis hoc ſenſu ſpectata dividi ſolet in perfectam, & in imperfectam; perfecta ea eſt in quâ motus penitùs aboletur: imperfecta ea eſt in quâ idem motus notabiliter tantum minuitur.

CAUSÆ.

Linguam ſuis gaudere muſculis compertum eſt, quibus variè jactatur in ore, aeremque expirando, motitando diverſas voces exprimit. Hi muſculi per nervos qui ex quinta pari proficiſcuntur, cauſam efficientem motus videlicèt liquidum aereum recipiunt inflandis eorum veſiculis apprimè idoneum undè ſtatim eos muſculos linguæ movendæ impares fieri, ſi nervi his perſpicientes reſecentur, obſtruantur, laxentur, comprimantur alio quocumque modo anguſtentur, ſectio ergò, obſtructio relaxatio, vel compreſſio nervorum lingualium cauſa proxima linguæ paralyſis futura eſt. Inſtrumentis acutis, & vulnerantibus debetur nervorum ſectio quæ cauſa omninò eſt, nec niſi unicum ejuſdem extat apud Avicenam ità referente Riverio exemplum in homine quodam cui poſt cucurbitulæ applicationem occipiti altiùs ſcarificato linguam reſolutam fuiſſe prælaudatur, authør teſtatur.

Cæteræ verò cauſæ frequentiores ſunt laxitas aut compreſſio eorumdem nervorum quæ fiunt aut in ipsâ origine hoc eſt in cerebro, vel in progreſſu; vel in ipsâ linguâ obſtruentur nervi à materiis craſſis lymphaticis fibro-

sis quæ unà cum spiritibus aereis sequestrantur, quæque vel hærebunt in fibris cerebri medullaribus, vel dein progrediendo per nervos, & majorem crassitiem contrahendo juxtà nervorum longitudinem aut in ipsâ linguæ substantiâ obturaculum efficient, hinc materierum crassiorum secretioni favent, tùm dissoluta sanguinis crasis quæ tales suppeditat glandulis corticalibus lymphæ particulas, tunc glandularum prædictarum laxitas, & dilatatio nimia; hæc ergò omnia quæ sanguini dissolvendo conferunt ex sex rerum non naturalium abusu depromenda, similiter ea quæ laxare valent glandulas cerebri ac nimium diducere, hæc inquam, omnia nervos linguales obturando linguæ paralysim remotè producent, laxitas nervorum produci debet ex duplici fonte, vel 1º. Ex eo quod illi imminuto spirituum fluxu concidant, vel 2º. Ex eo quod eorum textus seroso latice imbibatur, minuetur fluxus spirituum vel cohibitâ eorum secretione, à causis cerebrum comprimentibus ut in morituris, sincope affectis; aut passione histericâ, caroticis, catalepticis, apoplecticis, comatosis, vel tumorem in progressu nervorum lingualium, aut in ipsâ linguâ enatis, serum pariter fibrillas nerveas perfundet iis omnibus quæ limphæ progressivo motui officiunt, & ædematosum tumorem parere possunt ex ædematis theoriâ repetendis, comprimentur denique iidem nervi vel in cerebro si sanguine infarciantur causis circularem ejus motum inhibentibus, ut itâ, terrore subitaneo, vel vehementibus animi pathematis, nimiâ dosi narcoticorum, cæterisque causis quas in exponendâ appoplexiâ recensebimus, vel in spiritu obortis.

SIMPTOMATA.

1°. Pro majori aut minori obstructionis, compressionis, aut laxitatis gradu minuitur vel penitus intercipirur fluxus-spirituum in linguâ, ergò abolendum omninò vel minuendum motum linguæ consequens est, indè loquela nunc tardius fiet, aut difficilius, nunc verò prorsus abolebitur, seù perfecta, vel imperfecta futura est.

2°. Ex verbis, ac nominibus, imò ac litteris alia aliis difficilius exprimuntur, quia alia simplici, alia verò magis compositâ, & multiplici linguæ motione indigent, ut distinctè enuntientur; in imperfectæ ergò linguæ paralisi si ægri quasdam voces, ac litteras satis liberè, alias verò difficilius & ore pronuntiabant.

Distinguenda tamen hæc loquendi difficultas à nativâ quorumdam balbutie qui vel hæsitantes verba proferunt, ac priorem eorum sillabam sæpius repetunt, vel qui litteras quasdam enuntiatu difficiles, ut est littera R aut L, malè proferunt, aut pro simplici litterâ S duplicem eadem S loquendo adhibent. Quæ quidem vitia dependent, vel à depravatâ linguæ, aut ejus musculorum conformatione nativâ, vel à linguœ crassitie, longitudine nimiâ, brevitate, aut extremitatis ejusdem ad hæsione, nullamque supponunt labem nervorum.

3°. Sufflaminato linguæ motu remanebit gustus si rami ex novo pari oriundi vitii expertes fuerint, secus autem uterque simul & sensus & motus linguæ vitiabitur.

4°. Cum linguæ motus voluendis in ore ali-

mentis, iisdem quo deglutiendis inserviat, patet luce clarius masticationem, & deglutionem in hoc affectu lædenda.

50. Demum si paralysis oriatur à cerebri vitio cæteras functiones animales labefactari necesse est, ob compressionem notabilem cæterorum origini illatam.

DIAGNOSIS.

Facilè dignoscitur linguæ paralysis tum ex eo quod ægri qui anteà voces aptè proferebant, vel non loquantur, vel loquendo balbutiant, tùm ex ademptâ masticandi, & deglutiendi libertate, an perfecta sit, vel imperfecta ex abolitione, vel imminutione motus linguæ; & præpeditâ omninò, vel difficili loquelâ cognoscitur.

Vitium cerebri in causâ esse judicatur læsione cæterarum functionum animalium, secus verò tum earumdem functionum integritas, tùm antecedentia nervos extra cerebrum laborare significant.

PROGNOSIS.

Linguæ paralysis quæ apoplexiæ, caro, lethargo, catalepsi, aliisque affectibus soporosis supervenit, multùm portendit periculi, & eorum affectuum recidivam minatur, quia vitium cerebri difficilè tollitur, & semel sublatum vel levi de causâ renovatur, contrariâ ratione facilius curatur, si nullum præcesserit, aut comitetur vitium cerebri, cæteræque functiones animales ritè exerceantur, perfecta imperfectâ, inveterata recenti periculosior ob majorem in illâ quam in hac causæ morbificæ energiam; indè etiam est quod linguæ paralysis in quâ sensus simul &

motus pereunt, gravior sit illâ in quâ motus tantum aboletur, deniquè magis periclitantur senes quam juvenes, quia vaso in illis sunt minus elastica, & humores magis affecti, in his verò majus est robur solidorum, & sanguis belzamicus.

CURATIO.

Ad curandam linguæ paralysim videndum statim an cerebrumafficiatur, nec ne, si primum eadem therapeia convenit qualem in appoplexiâ, & paralysi quæ sunt interni capitis morbi si secundum hoc est si illibato cerebro soli nervi lingualis vitientur, quod quidem etiamsi accidat raro, nonnunquam tamen observasse se *forestus* & *sennertus* asseverant, hinc præmissâ sanguinis missione è brachio evacuandi causâ, ex pede ad revellendum, ex venis raninis ad derivandum, purgato quoque corpore catharsi, & emeticis ut primæ viæ expurgentur plurima prosunt medicamina quæ partem roborant laxatam, & humores in linguâ hærentes resolvere valent, quem in finem topicis utendum masticatoriis præsertim, & gargarismatis; masticatoria ea pyrethro, nicotianâ, semine synapi, pipere, gingibere; aliisque; conciliantur gargarismata, ex decocto plantarum aromaticarum in æquis vini, & aquæ partibus quibus addi potest sal ammoniacum, vel ex succo salviæ, & betonicæ additis castoreo, nuce moschatâ & similibus; quæ non modò linguam potenter irritando vasorum elaterem exsuscitant, verum etiam salivarem humorem uberius exprimendo linguæ impedimenta reserant, in

eundem ſcopum conducunt cucurbitulæ dorſo aut capiti admotæ vel cauteria poſticæ cervicis parti aplicata quæ perſæpe feliciter ſucceſſiſſe teſtantur practici celeberrimi.

FINIS.



ERRATA

PAGE 3 lig. 25 excerſcentia liſez excreſcentiæ
Pag. 7. lig. 15 inteſperſus leg. interſperſus
Pag. 8 lig. 15 acumulato leg. accumulato
Pag. 17 lig. 26 deficiento leg. deficiente
Pag. 25 lig. 8 fiſtoloſo leg. fiſtuloſo
Pag. 25 lig. 11 illæta leg. illata
Pag. 25 lig. 12 intercudit leg. intercludit
Pag. 24 lig. 7 turbeculum leg. tuberculum
Pag. 26 ultima remdiorum leg. remediorum
Pag. 29 lig. 4 de fiſtulœ leg. de fiſtula
Pag. 30 lig. 22. papula leg. papila
Pag. 35 lig. 30 ſemircularitet leg. ſemicircularitet
Pag. 37 lig. 15 nictibus leg. ictibus
Pag. 60 lig. 18 puriter leg. pariter
Pag. 71 lig. 8 exſiccenter leg. exſiccentur
Pag. 72 lig. 20 candicantium leg candidantium
Pag. 76 lig. 26 latens leg. latentes
Pag. 80 lig. 11 temediis leg. remediis
Pag. 82 lig. 26. ſelerotidis leg. ſclerotidis
Pag. 85. lig. 27 graviore leg. graviora
Pag. 87 lig. 18 atrinet leg. attinet
Pag. 94 lig. 23 ſolus leg. ſolius
Pag. 97 lig. 16. ſine leg. ſive
Pag. 97 lig. 17 ſpecilli leg. ſpecillis
Pag. 100 lig. 11 circulatianis leg. circulationis.
Pag. 105 lig. 4 mulgo leg. vulgo
Pag. 106 lig. 27 vivinis leg. vicinis
Pag. 108 lig. 23 obſunitatem leg. obſcuritatem
pag. 109 lig. 4 amaurſis leg. amauroſis
Pag. 114 lig. 31 lardeutium leg. ardentium
Pag. 137 lig. 8 ſoles leg. ſolet
Pag. 142 lig. 3 affliciantur leg. afficiuntur
Pag. 142 lig. 8. ltcto leg. lecto
Pag. 143 lig. 22 ob abjectis leg. ab objectis
Pag. 145 ultima pulſar leg. pulſant
Pag. 147 lig. 2 ptecedere leg. procedere
Pag. 175 lig. 12 videarnur leg. videatur
Pag. 179 lig. 32 obfactus leg. olfactus
Pag. 186 lig. 6 paris leg. puris
Pag. 191 lig. 8 immedirte leg. immediatè

Finis



